8°
B.S
Y-233

CHRIST. GVIL. MITSCHERLICHII
PHIL. PROF. EXTRAORD.

LECTIONES
IN
CATVLLVM
ET
PROPERTIVM.

GOTTINGAE,
APVD JOAN. DAN. GOTTH. BROSE.
MDCCLXXXVI.

PRAEFATIO.

Quum Catullus poeta is ſit, qui eandem curam, qua Tibulli & Propertii carmina caſtigata atque illuſtrata tenemus, optimo jure ſibi poſtulare poſſe videatur; conſilium equidem olim edendorum ejus carminum ceperam. A quo tamen ut recederem cum aliae ſuadebant cauſae, quas hic commemorare nihil adtinet, tum, quod majori jure Papinius Statius, cui jam dudum operam meam penitius addixeram, & cui perpoliendo nunc cummaxime inſudo, meum ſibi vindiret ſtudium, idque eo magis, quo praeſtantioribus ad recenſionem illius poetae rite inſtituendam ſubſidiis criticis accedere mihi datum ſit. Praeterquam enim, quod Bibliotheca regia Gottingenſis editiones hujus poetae antiquiſſimas Lectionumque varietatem e Codd. a Burmanno primum enotatam offerat, inſignem Duumvirorum, qui Academiae Juliae Carolinae maximo, ſi qui alii, ſunt ornamento, Henkii & Wernsdorfii, VV. Ill. qua me, hominem

minem sibi plane ignotum, occuparunt, humanitatem, atque propensam de Statio meo bene merendi voluntatem expertus sum, quam non possum, quin gratissima mente publice devenerer.

Ne tamen meus qualiscunque Catullo impensus labor prorsus effusus atque irritus esset; statui quaedam, quae ad illustrandum Epithalamium Pelei & Thetidis, praestantissimum Romanae poeseos exemplar, spectarent, seligere, simulque, cum disertius quaedam exponendi amplior, quaque ipsorum carminum editori uti vix liceat, facultas daretur, in aliorum Scriptorum loca examinanda atque nova luce illustranda digredi. Quo successu hac opera perfunctus sim, penes Viros rei intelligentes esto judicium. De carmine ipso ejusque oeconomia, quae a recentioribus quibusdam in reprehensionem vocata est, in ipsa libri fronte quaedam monere constitueram, quae tamen, cum justum praefationis modum excederent, alio tempore divulgare decrevi. Scr. in Acad. Georg. Augusta. Mense Augusto MDCCLXXXVI.

Lectiones

Lectiones in Catulli Epithalamium Pelei & Thetidis.

Peliaco vertice Initium carminis contulit Dorvill. (ad Charit. VIII. c. 8. p. 652. ed. Beck V. Cl.) cum Maneth. II. 104.

πηδαλιον τε νεως, την ακρεστατοισι τεμουσα
πηλιου εν κευφης Παλλας θετ' αν' ασφασιν
Αργω.

mox v. 3. *Phasidi* tribuuntur *fluctus* ad declarandam fluvii magnitudinem. v. Vulp. adde Theocr. XIII. 24. de Argo:

— — — βαθυν δ' εισεδραμε Φασιν
Αιετος ως, μεγα λαιτμα.

Sic & *aequor* Latinis de magnis fluviis, Virgilio *mare* de Timavo Aen. I. 246. v. Schrader. ad Musaeum v. 5. p. 6.

v. 4. Quum lecti juvenes, Argivae robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi-

pro *lecti* in quibusdam Codd. teſte Statio, & editionibus, ut Venett. Colin. Henric-petr. & Scalig. comparet *laeti*. Ita quoque Guelpherbyt. Vitioſe inde quidam *laeſi* quos inſpexit Heinſ. (Adverſ. p. 645.) Et habet ſane altera lectio, quae de Argonautaurum *alacri, ad navigandum pronto animo* capienda erit, multa, quae ipſam egregie ſuffultum eant, vett. loca. E. g. Val. Flacc. I. 600.

Graja novam ferro molem commenta juventus
Pergit, & ingenti *gaudens* domat aequora velo

Nota illa Virgilii Aen. I. 35.

Vix e conſpectu Siculae telluris in altum
Vela dabant *laeti* &c.

Stat. Achill. I. 558.

Nec mora jam dextras Ithaceſia carbaſus auras
Poſcit & in tranſtris *hilaris ſedere* juventus.

ita ibi cum Gronov. legendum. Vulgati tenent *reſidere*. Ita Graeci quoque. Pſeudo-orpheus Argon. v. 67.

— χαροπον ποτε χευμα γεγηθοτες ἑλξατε νηα

adde Pindar. Pyth. IV. 327. Alteri tamen lectioni *lecti* major a ſcriptis & expreſſis accedit

dit auctoritas quam etiam adſtruunt ſequentia:

Argivæ *robora* pubis

Juvat quoque Theocrit. XIII. 19, ubi Argonautae dicuntur

πασαων εκ πολιων προλελεγμενοι, ὡν οφελος τε

& Apollon. Rhod. IV. 831. λεκτοι Ἡρωων. Unde Ennius:

Argo, qua vecti Argivi *delecti viri*

& inde Virgil. Eclog. IV. 34.

Alter erit tum Tiphys, & altera, quae vehat, Argo

Delectos heroas.

Propius vero noſtro idem Virg. Aen. VIII. 518.

— huic equites bis centum, *robora pubis*
Lecta dabo.

Stat. Theb. I. 607.

Seque ultro *lectis juvenum*, qui *robore primi*
Obtulit.

lectus vero & *laetus* ſaepius invicem permutari teſtes vide ſis Drakenb. ad Liv. T. I. p. 697. eundem ad Sil. Ital. XII. 409 & Heinſ. ad

Valer. Flacc. III. 5. VI. 559. — Argivae robora *puppis* habent editt. Venett. cum cod. Guelpherb. ſolemni varietate. v. ad Valer. Flacc. II. 291. Cui quidem ſcripturae patrocinium agere videri poſſit Valer. Flacc. IV. 528.

Mox abit & victor ſociae petit *agmina puppis*

Sed praeterquam quod & in Valerii loco *pubis* legendum ſit, uti jure ibi contendit Heinſius, refragatur quoque v. 6. noſtri carminis, in quo *puppi* ſtatim recurrit, & ipſum, quod adjicitur *Argivae*, quod tum mutari deberet in *Argoae*, ſic *Argoae trabes* Claudiano XXVI. 16. — v. 5. manifeſta imitatione expreſſit Valer. Flacc. V. 629.

— — exſtructa quod vexerit ipſa carina
Vellera ſacra meis *quaerentem avertere* lucis.

avertere cum dilectu poſitum verbum, nam de *praeda pecorum abigenda* proprie dicitur. Virgil. Aen. X. 78.

Arva aliena jugo premere, atque *avertere praedas*

Caeſar de Bello civ. III. 59. freti amicitia Caeſaris — ſtipendiumque equitum fraudabant, & praedam omnem domum *avertebant*. cf. Heinſ. adverſſ. II. 19. p. 365.

v. 6.

v. 6. Auſi ſunt vada falſa cita decurrere puppi.

vada decurrere proprie vado, h. mari decurrere. Ita Virgilius *aequora currere* dixit Aen. V. 235. quem locum Schraderus admovit Muſaeo 238.

— — Φορευμενος ὑγρος ακοιτης
Νηξομαι Ἑλλησποντον αγαρρεον.

vada ſalſa ſunt Homero ὑγρα κελευθα Pindaro (Pyth. V. 117.) ἁλος κελευθος, Oppiano ἁλμης κελευθος. Propertius quoque III. 21. 14.

Jam *liquidum* nautis aura ſecundat *iter*.

Ceterum ad ſenſum hujus loci & verborum dilectum adpoſite Orpheus Argon. 66.

Ἡ ῥα ὑπ' ειλατινοις ερετμοις ἁλιμυρεα βενθη
πρωτη ὑπεξεπερησε, τριβους δ' ηνυσσε θαλασσης.

v. 8–11. Diva quibus, — curſu prima imbuit Amphitriten. Voſſius, qui v. 9. in ſuo Codice, quem emendatiſſime ſcriptum praedicat, ita invenerat:

Ipſa, *ſui facie* volitant. f. c.

pro *levi fecit* quod eſt in omnibus, eam ſcripturam defendit hac addita explicatione: „*ſui facie* ad morem & formam ſui currus,

„quo in caelo utitur, quoque nubes atque aethera tranat„ inconcinne prorſus, & contorte. Vulgata contra multo eſt exquiſitior, nimirum *Minerva currum fecit volitantem flamine* dictum pro: *fecit navem agilem vento*, adeoque *velis inſtruxit.* — *texta pinea* ſunt navis tabulata e pinubus coagmentata. Sic *aurea laterum texta* Attio in Nyctegreſia & *ferrea texta* Lucretio VI. 1052. *laterum textura* ſ. *contexta* Lucan. IX. 777.

Vincula nervorum, *laterum textura* cavumque
Pectus

ubi tamen Withof. Enc. crit. p. 105. legere malit: *laterumque arcana.* male. Titius Controv. I. 25. malebat in noſtro loco; *Linea c, i. texta car.* ut Catullus antecedentia: *fecit volitantem flamine currum* paulo diſertius exponere voluerit, explosus dudum ab Yvone Villiomaro Aremorico, p. 29. In v. 11. mire turbant interpretes, ſecuti quisque ſuorum codd. lectionem. Voſſius libri Mediolanenſis ſcripturam:

Illa rudem curſu *prora* imbuit Amphitriten

ita defendit, ut *prora* in ſexto caſu accipiat, ipſi que velificari putat hoc, quod „prora vocalis fuerit & fatidica.„ Quae quidem ratio, quatenus ſtabiliendo τῳ *prora* inſerviat, alii

vide-

viderint. Quod ſi omnino *prora* tenere velis, rectius utique poſt *carinae* (in antec. v.) majus inciſum pones, & verba ſic ordinabis, *Illa prora* (in primo caſu) *rud. Amph. imbuit, quae* &c. aut ſcribes: *curſu prorae.* Minus vero audiendus eſt Ach. Statius, qui, quod in ſuis Codd. ſcriptum invenerat: *primam*, amplectendum cenſebat. Defenſorem tamen nactus eſt Corradinum, lepidum ſane, ſi ipſius interpretationem audias: „leges vero *pri„mam* h. e. principem, & quae primum lo„cum tenebat dea inter homines inſtituen„dos a Minerva, vel praecipuam, & pecu„liarem. Nam uxor Neptuni Amphitrite, „quae pro mari uſurpatur, erat ita rudis (ne„mo enim navigaverat) ut *peculiariter* inſti„tuenda eſſet. *Imbuere* enim eſt erudire„ Nimirum bonus Italus referebat verba: *illa imbuit* cet. non ad navem, ſed ad ipſam Minervam; hinc ortae illae ineptiae. Vulgatam lectionem, *prima* ceteris praeferri debere, quivis videt. *Imbuere* elegans verbum de prima navigatione. Catull. IV. 17.

Tuo *imbuiſſe* palmulas in aequore.

v. quos laudat Doeringius, Vir doctiſſimus idemque amiciſſimus. Idem verbum Statio ingerere conabatur Burmann. Sec. & quidem Achill. II. 371.

— — — & ſimul ingens

Impulit ora rubor.

legendo: *imbuit*. ſed *impulit* eſt fortius, Statioque adeo magis dignum. Sic idem Achill. I. 105.

——— ——— lucemque genarum
Tingit, & *impulſam* tenui ſudore pererrat.

Theb. IV. 570.

Illius elatis tremefacta adſurgere vittis
Canities, tenuique *impelli* ſanguine vultus.

Quod Heinſius in ora libri ſui, quem cum Burmannianis Bibliotheca Gotting. adſervat, mutare geſtiebat in *impleri*, molimine haud probando. *Impulit* hoc quoque in loco reponere volebat Titius ad Gratii Cyneg. (monente jam Doering. V.D.) quamquam & Virgil. Georg. I. 254.

Et quando infidum remis *impellere* marmor.

& Ovid. Metam. VI. 720.

Vellera cum Minyis nitido radiantia villo
Per mare non *motum* prima petiere carina.

adde Valer. Flacc. V. 44. Manil. I. 76. ex emendatione Gronov. in Obſſ. III. 15. propoſita. Pari dictionis ſuavitate *mare patefactum* poetis dicitur. e.g. Stat. Achill. I. 62.

Aſpicis, in quales miſerum *patefecimus* uſus
Aequor?

&,

&, qui inde profecit, Valer. Flacc. I. 169.

O quantum terrae, quantum cognoſcere caeli-
Permiſſum eſt! *pelagus quantos aperimus in uſus?*

Praeiverat Pindarus Pyth. IV. 117.

ναυσι θοαις
Ἅλος βαθειαν κελευθον ανοιγων

cf. omnino Heyn. V. S. ad Tibull. I. 3. 63. v. 12–15. *Quae ſimulac — Nereides admirantes.* Praeclaro phantaſmate poeta Nymphas, novae illius molis ſonitu ſede ſua exturbatas in maris ſuperficie adparuiſſe, heroibusque conſpiciendas ſe praebuiſſe fingit. Efficitur inde a poeta hoc, ut rei, quam deſcribit, augeatur dignitas, cum ipſa numina audaci mortalium conatu in admirationem abreptos videamus. Pariter Ovid. Amorr. II. XI. 1.

Prima malas docuit *mirantibus aequoris undis*
Peliaco pinus vertice caeſa vias.

Praeiverat haud dubie Apollonius Rh. I. 546.

παντες δ' ερανοθεν λευσσον θεοι ημαται κεκ-
λω
Νηα καλ Ἡμιθεων ανδρων μενος, οἱ τοτ'
ἀριστοι

πουτου επιπλωεσκον, επ' ακροτατοισι δε
Νυμφαι
πηλιαδες κορυφησιν εθαμβεον εισορωσαι
Εργον Αθηναιης Ιτωνιδος, ηδε και αυτους
Ηρωας χειρεσσιν επικρατεοντας ερετμων

Ita legendum puto v. 551. pro vulgato: επικραδαοντας ερετμα. Nam κραδαινειν de *remorum agitatione* vix alicubi obvium. Genuinam ſcripturam επικρατεοντας ερετμων ſervavit Eudocia in Jonia v. *Pallas*. T. I. p. 322. ed. Villoiſ. ubi tamen ερετων vitioſe ſcriptum & πηλιαδης (pro πηλιαδες) tanquam cognomen *Simonidae*, cui hos vv. tribuit Eudocia, ſecuta Tzetzae ſchol. ad Lycophr. v. 355. cujus pleniorem & accuratiorem commentarium Eudociae temporibus extitiſſe, vel ex inſigni lectionis varietate in Apollonii loco, qui nunc aeque ac in Apollonii libris ibidem vulgatur, adparet. κρατειν ερετμων docte dictum, uti κωπης ανεξ de remige Aeſchyl. Perſ. 376. cf. Batrachom. v. 62. Ut in viam redeam, pariter Dii, Achivorum naves foſſa & aggere circumdatas intuentes juxta Homer. Il. H. in f.

θηευντο μεγα εργον Αχαιων χαλκοχιτωνων

Neque auguſtius Achillis eximiam virtutem Pindarus exhibere poterat, quam deos ipſam ſtupentes inducendo. Nem. γ. 85.

— — ὅλον δ' ἐπειτ' ἂν
χρόνον τον ἐθάμβεεν Ἄρτε —
μις καὶ θρασεῖ Ἀθανα.

adde Pyth. θ. 51. Noſtrum ob oculos habuit Silius VII. 412.

Ac tortus multo ſpumabat remige pontus
Quum trepidae fremitu vitreis e ſedibus antri
Aequoreae pelago ſimul emerſere ſorores.

Egregie admodum Nemeſianus quando Boreae ſaeviſſimo impetu mari incumbentis furorem deſcribere laborat:

Ipſe ſuper fluctus ſpumanti murmure fervens
Conſpicuum pelago caput eminet, omnis euntem
Nereidum mirata ſuo ſuper aequore turba.

Pari ſplendore Claudian. Gigantom. 117.

Horruit Aegaeus, ſtagnantibus exſilit antris
Longaevo cum patre Thetis, deſertaque manſit
Regia Neptuni, famulis veneranda profundis.
Exclamant placidae Cynthi de vertice Nymphae.

de Scylla, Minois navi adfixa Vigil. Cir. 389.

Per

Per mare caeruleum trahitur Niſeia Virgo
Complures illam Nymphae mirantur, in undis
Miratur pater Oceanus, & candida Tethys.

Moſchus II. 114. ubi Europam tauro per mare vectam deſcribit:

Νηρεΐδες δ' ανεδυσαν ὑπ' ἐξ ἁλος, αἱ δ' ἀρα πασαι
Κητεσιοις νωτοισιν ἐφημεναι ἐσιχοωντο.

torta a Mureto & Ach. Statio illatum. antiqui libri tenent *tota*. illud tamen exquiſitius. Exemplis Statio adductis adde Valer. Flacc. I. 362. II. 28. Apollon. Rh. II. 553. δινηεις ῥοος. eſt quoque convenientius τῳ *ſpumis* incanduit. Gerard. tamen Voſſius cujus Adverſ. inedita adſervat Bibliotheca Gotting. *tota* praeferebat adſcripto Valerii Flacc. V. 439.

— — — — *toto* ratis una *profundo*
Cernitur.

quo tamen nihil efficitur, cum a noſtro alienus ſit. — Pro *incanduit* libri magno numero *incanuit* ut Ald. Colin, Gryphh. Henric. petr. Muret. Plant. Scalig. unde recepit Vulpius. Nec omnino male, cum ſtatim ſequatur *candenti*: Sed & verba vel eadem vel invicem cognata a poetis haud magno intervallo poni congeſtis exemplorum plauſtris docuit Schrader. in Animadv. ad Muſaeum p. 231.

p. 231-253. Utcunque legas, res eodem recidit. Quamquam *canere* de fluctibus ſolemnius poetis. Valer. Flacc. III. 32.

Nox erat, & leni *canebant* aequora ſulco

Stat. Theb. V. 337.

— — — geminus fragor ardua *canet*
Per latera.

Virgil. Aeneid. VIII. 672.

— — — *flictu ſpumabant* caerula *cano*:

In ejusd. ecll. IX. 34.

Huc ades, *inſani* feriant ſine litora *fluctus*

Bentlej. ad Manil. II. 671. reponere geſtiebat *incani*, cui favere videri poſſit Apollon. Rhod. II. 572.

— — — — ὑψοθι δ' οχθης
Λευκη καχλα οντος ανεπτυε κυματος
αχνη

Auctor epigr. XIII. l. II. in Anthol. Burm. T. I. p. 703.

Sub tanto ſubitae ſonuerunt aequore claſſes
Caeruleus *cana* ſub *nive* pontus erat.

quod exquiſite dictum pro: *mare ſub ſpumis latebat*. *Candentes* tamen *ſpuma arenas* habes apud Sil. It. X. 205. ubi *canentes* malebat Heinſ.

Heinſ. contra nitente Drakenb. Ovid. Met. IV, 529. de Ino in mare delapſa:

— — — percuſſa *recanduit* unda,

& ſic λευκαινεσθαι Graecis paſſim, ut Homer. Οδ. μ. 172. & Apollon. Rh. II. 545. — v. 14. *feros vultus* Nymphis hic tributos non facile expectes. Pronum ſane eſt conjicere:

Emerſere *freti* candenti e gurgite vultus *Aequorei.*

quod etiam in mentem venerat Lenzio, juveni doctiſſimo. An excidit copula:

Aequoreae & m. N. adm.

quod placebat Heynio, V.S. ut *feri vultus* deos marinos, Tritonas Nereum Glaucum &c. indigitent. Certe nullo modo ferendus eſt Voſſius, qui *monſtrum feri vultus* jungit.

v. 19–21. In v. *tum*, quod ter ab initio hh. vv. recurrit, variant libri, qui v. 20. 21. magno numero exhibent *quum*, male. Nam easdem voces initio verſus continuo repetitas & alibi animadvertere licet. v. infra v. 38-40. Muſaeus v. 268.

Νυμφιε πολλα μογησας ἀ μη παθε νυμφιος αλλος

Νυμφιε πολλα μογησας, ἁλις νυ τοι ἁλμυρον ὑδωρ.

ad quem locum vide ſis Pareum, & Schrader.

der. Pet. Bondam in Varr. Lect. l. II. c. XI. p. 227. adde Callim. in Del. 83. ſſ. E Latinis nunc ſuccurrit Stat. Achill. II. 266.

J (neque enim tantos auſim revocare paratus).

J cautus nec vana Thetin timuiſſe memento

J felix noſterque redi.

Claudian. in Rufin. II. 240.

— — *te*, quo libet ire, ſequemur
Te vel Hyperboreo damnatam ſidere Thulen
Te vel ad incenſas Libyae comitabor arenas

ubi Burmannus Sec. (ad Propert. I. VI. 3.) legere malebat:

Teque ad inacceſſas L. c. arenas.

ſed ſic perit elegantia, quae repetitis illis vocibus: *te vel* ineſt: & *incenſas arenas* tuetur ipſe Claudian. IV. Conſ. Honor. 598.

— — — — quis divitis algae
Germina *flagrantes* inter quaeſivit *arenas*?

Curt. VI. 18. *Arenas* vapor aeſtivi ſolis *accendit*, quae ubi *flagrare* coeperunt, haud ſecus quam continenti *incendio* cuncta torrentur. Senec. Quaeſt. nat. IV. 2. *ardens pulvis*, nec humani veſtigii patiens. — *Thetis non deſpexit*

Hymenaeos expreſſiſſe videtur Homericum 18. Il. 436. *και ετλην ανερος ευνην* de hac ipſa Thetide. Nam hoc v. *non deſpexit* innuit poeta, Thetidem non omnio renuiſſe conjugium cum mortali. Cave enim per λιτοτητα haec accipias, quaſi Thetis connubium gaviſa inierit.

v. 20. Tum Thetidi pater ipſi jugandum Pelea ſenſit

Alii *patrem* h. l. intelligunt *Nereum*, ut Ach. Stat. Muret. Conrad. *Jovem* vero Vulpius cum Voſſio & aliis, recte. Ovid. Metam. XI.

Jupiter aequorae Thetidis connubia vitat
Inque ſua Aeaciden ſuccedere vota nepotem
Juſſit, & amplexus in virginis ire marinae,

adde Pindar. Nem. V. 40. Apollod. III. XIII. 4. *Patris* quoque nomine Jupiter Virgilio abſolute dicitur Georg. I. 353.

Ipſe pater ſtatuit, quid menſtrua luna moneret.

Juvat hanc opinionem additum το *ipſe*, quod honoris eſt vocabulum ut *αυτος* Graec. Calpur. Ecl. I. 46.

Dum populos *deus ipſe* regit &c.

ubi vide omnino Wernsdorf V. Cel. adde Gebhard. Crep. Juven. I. 9. & Burmann ad illa Ovid. Triſt. V. I. 45.

Quod

Quod probet *ipſe*, canam.

ibid. ſenſit haec eſt omnium fere librorum lectio, Voſſii tamen duo exemplaria, *ſanxit*, quod etiam textui intulit. Idem amplexi ſunt Pontanus & Muretus, uti quoque Heinſius in Advv. legendum ſtatuit. Retraxit tamen alterum Vulpius; & recte. Nimirum *ſentire* notat. h. l. *cenſere*, *judicare*, adeoque de Jove *ſancire*, jubere. Cic. ep. ad D. I. 9. 43. idem non ſolum fronte ac vultu — declarant — ſed etiam *ſenſu* ſaepe jam tabellaque docuerunt. ubi *ſenſus* ſententia lata & in tabellis perſcripta. Id. XI. 21. 3. Sed tamen, cum ego *ſenſiſſem* de iis — ſententiam ferri oportere, iisdem illi &c. & XII. 15. 3. Patiſcus proquaeſtor, homo mihi cum familiaritate, tum etiam *ſenſibus* in republica conjunctiſſimus. vid. Cort. ad Ep. VII. 22.

v. 22. Heroes ſalvete, Deûm genus, o bona mater
Vos ego ſaepe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte,
Theſſaliae columen, Peleu.

Deum genus, θεων γενος, filii deorum, Argonautae. vid. Catalog. Argon. a Burmanno ad Valer. Flacc. concinnatum — *o bona mater*. Inſigniter in conſtituenda illa *matre*, quam poeta innuat, hallucinati ſunt interpre-

tes. Muretus, ut ab hoc auſpicer, *Argo* ipſam intelligit, cujus veluti utero incluſi heroes latuerint. Non indocta, aliena tamen ab h. l. ratione. In animo forſan habuit Apollon. IV. 1327.

Δη ῥα τοτε σφετερῃ απο μητερι τινετ' αμοιβην
Ὡν εκαμεν δηρον κατα νηδυος ὑμμε φερουσα.

citante jam Vulp. adde ej. IV. 1372.

Μητερα δ' ουκ αλλην προτιοσσομαι, ηε περ αυτην
Νηα πελειν. ἡ γαρ κατα νηδυος αμμε φερουσα
Νωλεμες ἀργαλεοισιν οϊζυει καματοισι.

Vulpius *matrem* intelligit *Theſſaliam*, quae lectiſſimos illos juvenes, Jaſonis comites, non ſecus ac ſolent genitrices, in lucem protulerit; praeſertim cum Catullus in Galliambo v. 50. patriam genetricem appellaverit. Saepe quidem *patria matris* nomine venit, ut Pindaro aliquoties, Platoni Menex. c. VI. p. 28. ed. Gottleber. και τρεφομένους, ουχ ὑπο μητρυιας, ὡς αλλοι, αλλ' ὑπο μητρος της χωρας, εν ἡ ωκουν. vid. ibi Gottl. Antipat. ep. L. IV. ed. Brod. vocat Theſſaliam Λαπιθων μητερα, & ſic paſſim; hoc tamen loco, ſi eum cura ipſa expendas, facile animadvertes, ſenten-

ſententiam parum commodam inde oriri. Quo enim nexu idoneo junges illa: *O bona Theſſalia, teque adeo, o Peleu, vos ego meo carmine celebrabo.* Ne illud tangam, quod poeta nusquam fere in hoc carmine Theſſaliae mentionem injecerit, id quod a carminis argumento ſatis alienum fuiſſet. Sed Catullus omnino volebat hoc: *O Peleu, & Theti, qui felix iniiſtis conjugium, vos ego* &c. utque adeo ſub illa *matre* ſine omni controverſia *Thetis* ſit intelligenda. Verborum paulo inſolentior collocatio fraudi fuit interpretibus, ut adeo fluctuarentur h. l. Adclamationes vero hujusmodi in epithalamiis veterum fuere pervulgatiſſimae. Theocrit. in Epith. Hel. v. 49.

Χαιροις ω Νυμφα, χαιροις ευπενθερε γαμβρε.

Apud Hephaeſt. p. 12. ed. Pauw.

χαιροισα Νυμφα, χαιρετω δ' ὁ γαμβρος

Ad ſententiam poetae ſpectat quoque fragmentum Heſiodi, ejusdem argumenti:

Τρις μακαρ Αιακιδη, και τετρακις ολβιε πηλευ
Ὁστις ενι μεγαροις ἱερον λεχος εισαναβαινεις.

Cum Catullo vero prorſus conſpirat Eurip.

Iphig. in Aul. 1059. ubi chorus de his ipſis nuptiis agit:

Θιασος εμολεν ἱπποβοτας,
Κενταυρων — — —
Μεγα δ' ανεκλαγον· Ω ΝΗΡΗΙ ΚΟΡΑ
Παιδες αἰ θετιδαλαγ· ΜΕΓΑ ΦΩΣ

Erat vero *mater* reverentiae nomen. Sic Medea Circen adpellat matrem apud Valer. Flacc. VII. 241. & 248. cf. Durant. Caſell. Var. lect. I. 7. Hinc *deae* omnino *matres* dictae, ſicuti *dii patres*. Grat. Faliſcus v. 64.

— — & *matres* auſi attrectare *deorum*.

ubi recte Burmannus *matres deorum* deas ſimpliciter explicat. In v. 25. *Peleus eximie taedis* (vitioſe editt. vett. *eximiae Thetidis*) *felicibus auctus* dicitur, quatenus deae conjugio potiebatur. *augeri* h. l. ut Catull. LXIII. 11.

Qua rex tempeſtate *novo auctus hymenaeo*
Vaſtatum fines iverat Aſſyrios.

vid. infra ad v. 165. *taedae felices* Statio *taedae plenae* dictae Silv. III. v. 60.

Sed venient *plenis* venient connubia *taedis*
taedis plenis quae noſtris votis reſpondent, optatis. Hinc ſequitur ibidem:

Sic certe formaeque bonis animique *meretur*

Statii

Statii locum ita quoque explicare poſſis, ut: *venient connubia plenis taedis*, ornatius dictum accipias pro: connubia plena venient, h. e. rata fient ſuo tempore. Certe ita accipiendus ſimilis locus apud Stat. Achill. I. 22.

Plenaque materni *referens praeſagia* ſomni

plena referens h. e. ad exitum perducens *praeſagia*. Mireris igitur, Marklandum ibi legere maluiſſe: *feſtis taedis*.

v. 28. Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine

Tenere verbum amatorium, Tibullo perquam familiare, cujus loca collegit V. D. in Bibl. crit. Belg. F. III. p. 80. adde Gruter. Suſpic. VI. 16. Eadem notione *habere* Latinis. Terent. Andr. I. l. 58.

— — — heus, puer

Dic ſodes, quis heri Chryſidem *habuit*?

adde eundem Heautont. III. 1. 39. Uti Graecis εχειν. Theocrit. Adoniaz. 131.

Νυν μεν κυπρις εχοισα τον αυτας χαιρετω ανδρα.

De *Neptunine* nullus fere dubitabit, quin *Thetis* intelligenda ſit. Aliter tamen Turneb. in Adverſ. XXIV. c. 9. p. 495. „In Catulli verſu

„ab omnibus, quos quidem vel legerim vel „audiverim, *Neptunine* patronymica deriva„tione fictum intelligitur, ut *Oceanine*, *Ne„rine*, a quibus dissentio, cum linguae lati„nae retineri consuetudo potius debeat, quam „in eam Graeca introduci peregrinitas. Quid „enim vetat, *Neptuninum* vocari eum, qui „ex elemento Neptuni, & neptibus uxorem „petat, & Neptunum genere contingat? Ita„que vocandi sensu de *Peleo* audiendum ar„bitror, aut *Neptunina* legendum.„ Sed, o bone, versamur in poeta, & quidem Catullo, quem totum ad Graecos poetas, eorum dictiones &c. se adcommodasse quivis, vel leviter ipsius lectione tinctus, novit. Quam longe petitum & hoc, quod *Peleus Neptuninus* audiat, quia deam marinam petat uxorem? Porro, Latinis ne auditum quidem est voc. *Neptuninus*, (nam Virgilio & aliis semper est *Neptunius*, ut *Neptunius heros*, *Neptunia proles*) quod Catullo, Graeca flexione, Latio inducere quidni liceat? cum plura, imo infinita fere hujus generis extent exempla, quorum indicem constipavit Burmanni diligentia ad Ovid. Heroid. VI. 103. Turnebi rationem a Perizonio quoque jam explosam video in Animadv. historicis C. IX. p. 400. vide & Spanhem. ad Callim. H. Jov. v. 33.

v. 30.

v. 30. Oceanusque, *mari* totum qui amplectitur orbem?

Oceanusque *pater*, exhibent Ald. Colin. Gryph. Henric. petr. Muret. Plant. & Baſ. non male omnino, ſive *pater*, tanquam commune deorum epitheton cogites, ſive, quod malim, Oceanum tanquam rerum originem, ſecundum quorundam placita, hoc nomine inſignitum dicas. Sic Homero audit θεων γενεσις, uti Orpheo Hymno in eundem:

Ωκεανον καλεω πατερ' αφθιτον, ὁιεν εοντα
Αθανατων τε θεων γενεσιν θνητων τ' ανθρωπων.

Vulgatam tamen recte defendas Tibullo IV. 1. 147.

Quid moror? *Oceanus* qua *ponto* continet *orbem*.

Senec. Oedip. 504.

Oceanus clauſum dum *fluctibus ambiet orbem*.

Ovid. Faſt. V.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui *terram* liquidis, qua patet, *ambit aquis*.

Orph. H. Oceani de eodem:

Ος περικυμαινει γαιης περιτερμονα κυκλον

amplecti exquisite de mari terram circumfluente. Ovid. Metam. l. 13.

— — — — nec' *brachia* longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Euripides Oresl. 1377.

Η Ποντου, Ωκεανος ὁν
ταυροκραιος αγκαλαις
Ελισσων κυκλοι χθονα

In ejusdem Helena 1068. & 1452. occurrunt itidem *αγκαλαι πελαγιαι* Papinio Statio *gremium aquosum* dictae Achill. I. 540. & Manilio *liquidi amplexus.* de Aethere idem:

Ὁραις τον ὑψου τον δ'απειρον 'αιθερα
Και γην περιξ εχουτ' ὑγραις εν αγκαλαις.

Basil. Seleuc. Orat. I. ἡ θαλασσα περισαινει την Γειτονα, καθαπερ αγκαλαις ἁπαλαις προσπλεκομενη την Ηπειρον.

v. 31. Quae simul optatae finito tempore luces
Advenere.

Latinus Latinius:

Qui simul optatae finite tempore lucis
Advenere.

eandem lectionem margini edit Venet. adscriptam video. Tum vv. de adventu deorum,

rum, quorum in antecedentibus verſibus facta erat mentio, erunt capiendi, ſed male. Non enim adveniebant dii *finito tempore optatae lutis* h. e. finita nuptiarum die, ſed ad ipſas celebrandas nuptias, uti ex ſequentibus patet. Qui hanc ſcripturam Catullo inferre auſi ſunt, iis impoſuit, credo, *optatatae luces*, quod, in plurali numero poſitum nimis inſolenter iis dictum videbatur. Sed *luces* Graeco more. ut Callim. H. Dian. 182

— — — ταδε φαεα μηκυνονται

Adpoſite Catull. Coma Beren. 90.

Tu vero, regina, tuens cum ſidera, Divam
Placabis *feſtis luminibus* Venerem.

h. e. *feſtis* diebus. *finitum* vero *tempus* eſt, cum Peleus, finita expèditione Argonaut., in Theſſaliam redux eſſet factus. Nam tum demum Thetidem Peleo nupſiſſe, e tota hujus carminis oeconomia liquet. Quamquam aliter rei Argonauticae ſcriptores.

v. 35. Deſeritur Scyros, linquunt Phthiotica Tempe.

Theſſalia generaliter poſita (v. 31. *domum conventu tota frequentat Theſſalia*) jam urbes & inſulas Theſſalis inhabitatas ſigillatim, ut

decebat, recenſet Catullus. Scyrum, remotiſſimam quidem a Theſſalia inſulam, a Dolopibus tamen, Theſſalorum gente, poſſeſſam teſtatur Thucyd. I. 98. ἔπειτα Σκυρον, την εν τω Αιγαιω νησον, ἣν ωκουν Δολοπες, ἠνδραποδισαν, καὶ ωκισαν αυτοι. Diod. Sic. XI. 60. Σκυρον δε, πελασγων ενοικουντων καὶ Δολοπων εξεπολιορκησε. vid. ibi Weſſeling. & Waſſ. ad Thucyd. l. l. in Addendis p. 666. Dicaearcho ideo Scyros dicta πελασγια, quem locum debeo Salmaſio Exercitatt. Plin. p. 126. a. C. Huc pertinet locus Statii Achill. II. 103.

Quaeque fuit, Dolopas cum Scyria litora *adortos*
Perdomui *fregique* vadis.

ubi tamen, ut hiſtoria ſibi conſtet, legendum *adortus*, utque adeo Lycomedem, aliunde adpulſum, & Dolopas, vetuſtiores Scyri incolas ſibi ſubjeciſſe innuat Statius. In Statii loco legendum inſuper:

Perdomui, *infregique* vadis.

infringere vadis Virgilio *illidere vadis* Aen. I. 112. *Tempe Phthiotica* quae ſita ſunt juxta Phthiotidem, Theſſaliae regionem. Argutatur cum Ach. Statio Vulpius, duo Tempe agnoſcens, alia quidem prope Sperchium, quae noſter

noſter h. l. innuat, alia ad Peneum ſita. Sed uti *Tempe* Catullo *Phthiotica* veniunt, ita Callim. Del. 112. πηνειος dicitur φθιωτης quia πλησιον φθιας fluebat ſec. Schol. Homeri Spanh. laudatum, niſi & in Callim. duo flumina, Penei nomine inſignita ſtatuere malis.

v. 36. *Cranonisque* domos ac *moenia Lariſſaea.*

Turbant hic libri tam ſcripti quam expreſſi, unde & variae VV. DD. exortae opiniones. Vetuſta exempl. apud Voſſ. & A. Stat. tenent *Gravinonisque domos.* Vatic. *Graninonisque domos* Venet. Ald. Colin. Henric–pet. Plant. Gryph. tenent *Grajugenasque domos.* unde veram ſibi eruere viſus eſt lectionem Scaliger, legendo: *Grajugenúmque domos.* Theſſaliam, Ἑλλαδα, ejusque incolas Ἑλληνας a conditore Hellene, Deucalionis filio dictos fuiſſe, negare quidem vix quisquam auſit. vid. Thucyd. I. 3. Strabo IX. p. 656. VIII. p. 568. ibique Intp. Waſſ. & Gronov. Enimvero, cum Catullus Theſſaliae urbes ſigillatim jam recenſeat, Theſſaliae ſane mentionem iterata vice inculcatam, vix expectes, ideoque Scaligeri ſententiae ſubſcribere omnino incedit religio. Unde vero ſcripturae diverſitas in Cod. irrepſerit, in proclivi eſt videre. Extabat

tabat antiquitus: *Crannonisque domos* duplici litera *n.* (uti & in Sotio ἐν κραννωνι apud Wasse ad Thucyd. I. 23. p. 98. & in Strabone semper scribitur) hoc deformatum in *Craninonisque d. Gravinonisque & Grauinonisque d.* unde non indocta interpolatoris manus extricavit: *Grajugenasque d.* Sed *Cranonisque domos* primus revocavit P. Victorius ad probantibus Voss. Muret. Stat. & Vulp. Haec urbs sita erat juxta Lariſſam, teste Diod. Sic. XV. c. 61. p. 374. πεδιον κραναωνιον memoratur quoque Callim. Del. 138. ubi Spanhem. quoque Victorianae emendationi prae Scaligerana palmam dat. cf. Holsten. ad Steph. Byz. v. Κραναων. Corbinellus nescio quis, memoratus Statio, testatur in Ms. suo extare: *Gyrtonisque domos.* firmatque Apollonii:

Ηλυδε δ' αφνειην προλιπων Γυρτωνα Κραναωνος

adde Strabo IX. p. 441. 2. Praeferenda tamen vel huic est P. Victorii, ad quam omnes adludunt scripturae, correctio. *ac moenia Lariſſaea* exculptum ex portentis aberrationum, quae alunt Codices.

v. 37. *Pharſaliam* coeunt, *Pharſalia* tecta frequentant

&

& Pharſala tecta ſ. Venett. quam varietatem lectionis ab iis, qui metro timebant, intruſum puta. Pontanus quoque & Scaliger h. v. ita corrigunt: *Pharſalon* aut *Pharſalum c. Ph. t. f.* temere. Nam *Pharſaliam* eſt triſyllabum, nota ſynaereſeos figura, ut monebat jam Vulp. Sic. Virg. Georg. I. 481. *Fluviorum rex Eridanus* &c. & Aen. I. 77. Connubio jungam ſtabili &c. adde Stat. III. 579. Plura vide apud Munker. in Diſſ. Hygino praefixa. Schrader ad Muſaeum v. 224. Anim. p. 72 – 75. ejusdem Addend. p. 367. 68. & Burmann. ad Ovid. Metam. IV. 221. & VI. 150. Nec ſede ſua movenda lectio apud Stat. Theb. II. 492.

— — aut celſum crebris *arietibus* urbis
Inclinare latus.

Apud eundem X. 522.

— — — — ferrea ſudant
Clauſtra remoliri, trabibusque *& ariete ſonoro.*
Pellunt ſaxa loco.

forſan legendum:

— — — trabibusque *atque ariete crebro*
Pellunt ſaxa.

Nam ea, quae nunc eſt lectio, e prava librario-

brariorum de metro ſollicitudine eſt enata. *Pharſali* aut *Pharſalica tecta* ſ. volebat idem Scal. nec hoc bene. recte habet *Pharſalia*, Steph. το εθνικον Φαρσαλιος. Calpurn. IV. 101.

Nec mora *Pharſaliae* ſolverunt ſibila cannae

fruſtra ibi Heinſ. corr. *Pharſales*.

v. 38.–41. Rura colit nemo; molleſcunt colla juvencis:
Non humilis curvis purgatur vinea raſtris
Non glebam prono convellit vomere taurus
Non falx adtenuat frondatorum arboris umbram
Squalida deſertis robigo infertur aratris.

Tranſponendos hos vv. judicabat Ramireſ. ad Martial. I. 44. h. in modum:

Non humilis curvis purgatur vinea raſtris
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram
Rura colit nemo; molleſcunt colla juvencis
Non glebam prono convellit vomere taurus
Squalida deſertis robigo infertur aratris.

ſed hoc eſt poetam in ordinem cogere. humilis

milis vinea, vites per humum repentes. Ad poſite Longus II. 1. πασα κατα τον Λεσσον ην αμπελος ταπεινη & μετεωρος, ουδε αναδενδρας, αλλα κατω τα κληματα αποτεινουσα και ὡσπερ κιττος νεμομενη, quem locum debeo Lenzio Juveni doctiſſimo. Theſſaliam vero vini fuiſſe feracem cum aliunde, tum ex fragm. apud Athen. IV. c. 21. p. 174. liquet.

Ὁς δερι παντας νικασε νεους
Διναεντα βαλων Αναυρον ὑπερ
Πολυβοτρυος ἐξ Ιωλκου.

Ceterum h. & ſeq. verſ. Virgilio obverſatus eſſe videtur Ecl. IV. 40.

Non raſtros patietur humus, non vinea falcem.
Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.

notante ibi Heynio V. S. v. 39. taurus *non convellit*, confringit, invertit glebas *prono vomere*, h. in terram depreſſo, *vomer preſſus* eadem notione occurrit apud Virgil. Georg. I. 45. II. 203. Ovid. Herod. XI. 31. & Metam. III, 104. v. Burmann. ad Ovid. ex Ponto I. 8. 57. & ad Lucan. VI. 383. Vulpio tamen Catullus vomeri tribuiſſe videbatur, quod aratoris eſſet, laudato h. in rem Plinio 18. 19. adde Virgil. Ecl. 3. 42. docta magis quam vera

vera ratione. Pampinationem feſtis his diebus neglectam innuit poeta v. 40.

Non falx adtenuat frondatorum arboris umbram

falx adtenuat umbras, h. imminuit, contrahit umbras ipſa frondium amputatione. Ita quoque explicabis Virgil. Georg. I. 156.

Et ſonitu terrebis aves, & ruris opaci
falce premes umbras.

premes, coarctabis, comprimes, *umbras*. Aliter tamen ibi Heyn. V. S. *Arbor* h. l. de vitibus intelligenda, uti ſaepiſſime apud Virgil. in Georg. e. g. II. 260. Ceterum Lennep. ad Coluth. in Animadv. I. VII. p. 33. hunc verſum ita refingendum ſtatuit:

Non *falce* adtenuat frondator *roboris* umbram.

infelici conatu, cum, hoc admiſſo, multum inde detrahatur ornatui poetico. Ovid. de Nuce 63.

Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras.

v. 42, Squalida deſertis robigo iuſertur aratris *robiginem* (ſic enim h. v. ſcribi debere docent Burmann. ad Ovid. Faſt. IV. 907. & Broukhuſ. ad Tibull. II. 19. 55.) *aratris inferri* mirum loquendi genus videri poſſe, excuſari

cuſari tamen ſimilibus ut *inferre turpitudinem, infamiam* &c. inquit Vulpius. Minus adcurate. Res eſt ita expedienda : *robigo infertur* h. e. inducitur aratris & hoc dictum pro: *aratra obducuntur robigine.* Alias *inferri* habet notionem, ut ita dicam, nocivam. Sic Virg. Aen. IV. 544.

An Tyriis omnique manu ſtipata meorum
Inferar?

Quod omninò tanquam exquiſitius praeferendum vulgato: *inſequar.* Sic Stat. Achill. I. 45.

— — — praedonis vela profunda
Tempeſtate ſequi, cunctasque *inferre* ſorores.

Quem h. verbi ſignificatum h. l. ſi tenere malis, *Robigo* animo repraeſentanda erit tanquam perſona, quae *infert ſe*, h. e. occupat *aratra* ſitu ſuo, ut Tibull. XI. L. I. v. 21.

— — — — — triſtia duri
Militis in tenebris *occupat arma ſitus.*

Sic de *rebus nocivis* omnino loquuntr poetae, ut tanquam hoſtes irruant. Horat. I. 3. 30.

— — — Macies & nova Febrium
Terris incubuit *cohors*

incubuit terris cohors tanquam exercitus hoſtilis, infeſtans omnia. Hac enim notione το *cohors* accipiendum eſſe, nec vero ſimplici-

ter de *multitudine* (quanquam στρατος saepius Pindaro sic adhibetur) evincit Juvenalis imitatio sat. X. v. 219.

— — — *circumfilit agmine facto*
Morborum omne genus.

& magis adposite ad Horatii l. l. Hesiod. Εργ. 102.

Νοσοι δ' ανθρωποισιν εφ' ημερῃ ηδ' επι νυκτι
Αυτοματοι φοιτωσι, κακα θνητοισι φερουσαι.

quae loca doctissimum & elegantionis interpretationis magistrum Jani fugisse miror.

v. 43 – 46. Ipsius at sedes, quacunque opulenta recessit,
Regia fulgenti splendet auro atque argento.
Candet ebur soliis: collucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida gaza.

Heins. in notis ad Catull. quae in calce Adversor. p. 645. extant, priores duo versus ita corrigendos statuit:

Spissius at sedes *quocunque* opulenta *recessu*
Regia fulgenti *splendens* auro atque argento.

hoc fere sensu: *sedes regia quocunque recessu,*

ex

ex omni parte *opulenta ſplendens* ſc. eſt *ſpiſſius argento & auro*, ſpiſſo, condenſato *auro & arg.* Unicum, quod ex Heinſiana correctione arridere poſſit, eſt *ſplendens*, pro vulgato *ſplendet* (nam *ſplendent* propter adjecta *ſedes regia* ferri nequit) non tam quod hiatus Catullo perquam familiaris vitetur, ſed quia participium omiſſo verbo ſubſtantivo poeta ponere ſolet. Sic infra v. 308.

His corpus tremulum *complectens* undique quercus

complectens eſt, complectitur. Reliqua, quae h. l. commentus eſt Heinſius, vix quisquam aſſenſu ſuo probabit. Nam, quae vulgatur lectio, eſt multo doctior & ornatior prae Heinſiana, quae illius virtutes prorſus enecat. *Sedes ipſius* ſunt Pelei. Sic *Ipſe* poetis de eo, de quo praecipuus ſermo eſt, duce &c. abſolute ponitur. Valer. Flacc. III. 604.

Ipſe vel excelſi cum denſa ſilentia montis
— — — — — — — —
Stat lacrimans.

Ipſe i. Jaſon. Idem VIII. 224.

Ipſe autem invitae jam Pallados erigit aras vid. omnino Burmann. ad eundem III. 150. & ſupra add. v. 21. — *quacunque* parte *regia* illa *ſedes opulenta* receſſit, ſecretior eſt, ocu-

tis ſe ſubducit, adeoque in interiori domus parte, ubi hae ipſae nuptiae celebrabantur. Pariter fere Virgil. Aen. II. 300:

— — — quanquam *ſecreta parentis*
Anchiſae *domus*, arboribusque obtecta *receſſit*

& inde, jam notante Burmann. Stat. Theb. V. 242.

— — — — etſi lata *receſſit*
Urbe *domus*.

Idem Achill. II. 411. pari fere modo:

Aut *ſubducta* jugis foetae *ſpelunca* leaenae.

ſedes ſplendet auro atque argento, fere ut in illo noto Bacchylidis:

χρυσῳ δ' ελεφαντι τε
μαρμαιρεσσιν οικοι.

θαλαμους πολυχρυσους habes apud Pindar. in fragm. quod ſervavit Sext. Empir. Pyrrh. hypotyp. p. 18. *v.* 45. *Candet ebur ſoliis*, h. e. θρονοι inſtrati ſunt ebore candido. cf. Virgil. Aen. 6. 603. Hinc *niveas ſedes* easdem appellat Catull. infra v. 303. niſi ibi praeferas *niveos artus*. — pro *menſis* tenent plurimi libri, ut Venett. Ald. Colin. Gryph. Henricpetr. *menſae*, quod, ſive pro ſecundo vel tertio caſu (intell. impoſita) habeas, alteri poſthabendum. Virgil. Aen. I. 640.

In-

Ingens argentum *menſis*, caelataque in auro
Fortia facta patrum.

v. 46. Tota domus gaudet regali ſplendida gaza.

domus gaudet ſplendida, pro reſplendet apparatu regio, ſumtuoſo. Poetae ſaepius res inanimatas, quae adſpectu animum exhilarant, gaudio perfuſas exhibent. v. infra ad v. 285. Sic *laetae menſae* Statio Silv. IV. 6. 60. de Hercule

— — — — Pellaeus habebat
Regnator *laetis* numen venerabile *menſis*.

ubi male quidem *lautis* reponere malebat. Ceterum h. v. ob oculos habuit Virgil. Aen. I. 637.

At domus interior *regali ſplendida luxu*.

v. 47–49. Pulvinar vero Divae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchylis purpura fuco.

pro *ſedibus* offerunt quidam *Aedibus* ut Venett. Ald. & Gryphh. non male, ut varietur oratio. nam paulo ſupra v. 43. *ſedes* jam poeta dederat. Malim tamen vel ſic *ſedibus*. v. ad v. 14. *Pulvinar dente Indo politum*, ebore ornatum, vel omnino *eburneum*. v. 49. retraxi *conchylis*, quod magna conſpiratione tuen-

tur libri veteres, Venett. Ald. Colin. Gryphii. Henric-petr. Plantin. & aliae comparatque hanc exquisitiorem formam Scaliger cum Graec. κογχυλις, ιδος. male. est *conchyle, conchylis*, uti praeclare notavit Nestor in Vocab. h. v. ubi ex hoc ipso versu, quem laudat, hanc minus usitatam formam confirmat. *fucus* de purpura saepius adhibetur. Stat. Silv. III. 2. 139.

Quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura fuco
Sidoniis iterata cadis.

ubi v. Markl. & Vulp. ad Tibull. IV. 2. 16. Ceterum cum h. l. contendunt Virgil. Cir. 438.

Pronuba nec castos adcendet pinus odores
Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.

adde Horat. Serm. II. 6. 102.

— — — — rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,

& illa Theocriti Adoniaz. 123.

Πορφυρεοις δε ταπησιν ανω (μαλακωτερος υπνω
Α Μιλατος ερει χω ταν Σαμιαν καταβοσκων)
Εστρωται κλινα· τω Αδωνιδι τω καλω αλλα —

quos

quos vv. Catullo jam admovit ibi Valken. quem & vide ſis ad Xenoph. Mem. S. II. 3. 16. Plato apud Athen. II. c. IX. p. 48. b. κατ' εν κλινας ελεφαντοποσι, και στρωμασι περιφυροβαπτοις, και φοινικισι Σαρδιανικοισι κοσμησαμενοι κατακειντας.

v. 50. 1. Haec veſtis priſcis hominum varia-
ta figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.

Propoſitum ſuum poeta jam migrare videtur, dum fabulas veſti illi ſtragulae intextas juſto longius (a v. 52. usque ad 268.) perſequitur. *Veſtis* illa ſtragula *mira arte*, miro, praeclaro artificio *variata*, exornata, intextas habens *priſcas hominum figuras*, h. fig. priſcorum hominum. Ita ſolent poetae heroum aetatem declarare, reſpectu ſui temporis habito. Sic Stat. Achill. I. 118. de Chirone:

Aut monſtrare lyra *veteres heroas* alumno

& II. 443. de Achille:

— — — — — nec major in iſtis
Sudor, Apollineo quam fila ſonantia ple-
ctro
Quum quaterem, *priſcos* que *virum mira-
rer honores*.

h. quum canerem heroum res praeclare geſtas, idque cum admiratione. Hac notione

τo *mirari* Statio venit praef. ad. Silv. l. IV. Viam Domitianam *miratus ſum.* v. ibi Markl. Pariter θαυμαζειν Graec. de quo vide ſis magnum Valken. ad Eurip. Hippol. p. 177— *veteres Heroidas* habes & in Silv. III. 5. 45. ανδρες παλαιγενεες Apollon. Rhod. Homero & aliis. *variare* ſolemne verbum de textura. Valer. Flacc. III. 11.

— — — Percoſia veſtes
Quas dabat & picto Clyte variaverat auro.

Graecis ποικιλλειν, δαιδαλλειν hac de re. Euripid. Hecuba 468.

εν χρυσεῳ πεπλῳ
Ζευξομαι ἁρματι πωλους
Εν δαιδαλεσισι ποικιλ —
Λουσ' ανδροκρυσισι πηναις.

cf. Il. Σ. 590. Od. Ο. 105. ſic ποικιλλειν ὑμνον, hymnum contexere ſaepe apud Pindarum. *Virtutes heroum*, quaenam h. l. intelligendae ſint, dictu eſt paulo difficilius. Palladius ironiam eſſe contendit, & Theſei factum, quod Ariadnen reliquerit, heroicum ſcilicet, intelligit. Inepte! Vulpius, Scaligeri veſtigiis inſiſtens, *virtutes heroum* pro ipſis heroibus, antiquo more, ut μενος Αλκινοοιο, *virtus Scipiadae* & ſim. poſitas eſſe autumat. Sed non attendit ille, quod poeta, hoc admiſſo, idem per idem eloquatur.

tur. *Veſtis, cui intextae ſunt heroum figurae, heroas indicat.* Equidem Catullum, aut Homeri Il. X. 520. κλεα ανδρων Ηρωων, (quod Statio l. l. *priſci virum honores*) expreſſiſſe, atque adeo plura virtutis heroicae veſti huic intexta, quae ſilentio praeterierit, argumenta innuiſſe cum Mureto ſtatuerim, unde particulam aliquam tantum decerpſerit poeta, aut *virtutes heroum* de quibusvis e vita heroica petitis rebus geſtis cogitaſſe in animum induxerim. Sed referebat forſan haec veſtis ſtragula totam de Theſei expeditione adverſus Minotaurum fabulam, pro diverſis momentis, diverſis locis expreſſam, quod recte colligas e v. ſeq. v. 242. inprimis vero v. 252.

At *parte ex alia* florens volitabat Jacchus.

Poterat igitur alia pictura referre Ariadnen, Theſeum oculis proſequentem v. 53. alia Theſeum cum Minotauro depugnantem v. 105. ſſ. alia Aegeum filii felicem reditum exſpectantem in promontorio v. 242. tum alia Bacchum cum Satyris & ſic porro. Quae omnia, diverſis fabulae momentis, temporibus & locis diverſiſſima, ſi quis ſub unum conſpectum adducta, una pictura comprehenſa fuiſſe ſibi perſuadeat, nae is pingendi artis praecepta parum cognita habeat neceſſe

eſt. Ejusdem fabulae argumentum, per varia momenta ſigillatim in templo Apollinis expreſſum, dedit Virgilius Aen. VI. ab init. Quod ſi hoc aſſumamus, tum ſane *virtutes Heroum* de rebus a Theſeo geſtis, imprimisque de pugna cum Minotauro optime interpreteris.

v. 55. Necdum etiam feſe, quae viſit viſere credit.

Depravatiſſime h. v. in Codd. extat, unde & Viri docti variis, vario quisque ingenii molimine, conjecturis hic indulſere. Vicent. legit:

Nec dum etiam ſeſeque ſui tum credidit eſſe

quam ſequuntur Venett. Ald. Colin. Gryph. Henric-petr. Muret. Plantin. & al. Ita Parthen. quoque legit. At liber ſcriptus Statii:

Necdum etiam ſeſe *ſui tui ſe credit.*

Alter vero ejusdem:

Necdum etiam ſeſe*que ſui tui ſe credit*

uti plane Voſſianus Codex. niſi quod *quae* pro *que* exhibeat. Statius vero inde refinxit:

Necdum etiam ſeſe, *quae ſit, tum credidit eſſe.*

Improbante Voſſio, qui antiquam ſcripturam ita reſtituiſſe opinabatur: Ne-

Necdum etiam ſeſe, *quae viſit, viſere credit.*

In qua quidem acquieſcendum eſſe, dum melior & certior non emergat lectio, recte pronunciabat Vulp. Nam haec ipſa emendatio videtur in ipſis ſcripturae veſtigiis extare, & ſenſum fundit noſtro loco convenientiſſimum. Qua tamen non contentus Scaliger, veteris ſui libri, tenentis:

Nec dum etiam ſeſe*que ſui cui . . . credet.*

ductus ſecutus, parum ſe a verae lectionis veſtigiis aberrare putabat, legendo:

Necdum etiam ſeſe, *quae ſit, vix & ſibi credit,*

quam, ut quodammodo ſuffulciret correctionem, idem, neſcio quo augurio ductus, in Codd. antiquitus ſcriptum fuiſſe ſuſpicabatur:

Necdum etiam ſeſe *quo ſit viſet ſibi credet.*

unde & illas Voſſii & Statii lectiones fluxiſſe hariolabatur. Sed ecce! verum ſibi expiſcatus eſſe viſus eſt *Corradinus de Allio*, qui emendationem ſuam:

Necdum etiam ſeſe *quo ſit, viſit, ſibi credit*

Ms. locum habere audacter pronunciabat, quum ne una quidem mutata ſyllaba antiquae illi lectioni, quam tamen Scaligeri ingenium primum confinxit, adhaeſerit. Sed

&

& ipſa correctio ſenſu, verborumque ſtructura laborat. Neque felicius Lennepius (ad Coluthum I. VII. p. 34.)

Necdum etiam ſeſe obliviſci Theſea credit.

Heinſ. in Adverſ. IV. p. 575. proponebat:

Necdum etiam ſeſe *ipſam ſuam tum* credidit eſſe.

ſuam credidit mentis ſuae compotem. Vid. eundem Heinſ. ad Ovid. Met. III. 689. XI. Ut omnino ſuper hiſce conjecturis meam ad ponam ſententiam, Statii, Scaligeri & Heinſii conatus, qui ad editt. vett. ſcripturam prope accedunt, ſenſum Catulliano loco perquam idoneum efficiunt, iisque robur addas Theocr. Pharmac. v. 5.

Ουδ' εγνω ποτερον τεθνηκαμεν, η ζοοι ειμεν

& magis ad Scaligeranam emendationem adpoſite Eurip. Bacch. 506.

Ουκ ησθ' οτιζης, ουδ' ὁρᾳς, ουδ' ὁσις ει.

quem locum bene admovit Propertio Gebhard. Eleg. l. I. V. 18.

Et, quaecunque volet, fugient tibi verba querenti,

Nec poteris qui ſis, aut ubi, noſſe miſer.

ad Voſſianam contra ſcripturam adludere videtur Ovid. Heroid. X. 31. de Ariadne:

Aut

Aut vidi, aut etiam *cum me vidiſſe putarem*
Frigidior glacie ſemianimisque fui.

v. 60–62:

Quem procul ex alga moeſtis Minois ocellis
Saxea ut effigies bacchantis proſpicit Euoe
Proſpicit, & magnis curarum fluctuat undis.

Heinſ. Adverſ. p. 645. hic & v. 165. τῳ *alga* ſubſtituebat *acta*, & depravationem h. v. e vitioſa Codd. ſcriptura exhibentium, *agta* ortam eſſe opinabatur. *Marginis acta* occurrit quidem apud Septim. Seren. cujus fragm. exhibet Diomed. III. p. 516. ed. Putſch. Sed *alga* h. l. a librariis profectum eſſe, eosque bis in eundem incidiſſe errorem, cum veroſimile non ſit, videndum an, quod vulgatur, defendi queat. Et *alga* eſt haud dubie exquiſitius vocabulum, nam cum per ſe litus ſ. *actam* innuit, tum animo ſimul naturam ipſius objicit. Sic paulo ſupra, ad orationem variandam, *litus* per *arenam* indigitavit. In Valer. Flacco quoque l. 252.

— — — molli juvenes funduntur in *alga*

adcommodate ad rem το *alga* poſitum eſt, cum *litus algoſum* Argonautis mollius cubile praebuerit. Nec in Ovid. Halieut. v. 71. ut illud

illud fragmentum ex Columnae editione curavit Wernsdorf. V. Cel. in Poett. Minor. T. I. p. 179.

Quum tu ſubducto ſpumoſa per aequora tergo
Illaeſam vectas, patriaque exponis in *acta*

vulgata lectio *in alga* corrigi debebat, quae firmatur Virgil. Aen. VI. 416.

Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque
Informi limo, *glaucaque exponit in ulva.*

Idem Virgilii locus magnum robur addit Schraderi doctiſſimi emendationi in Propert. IV. XI. 16.

Et quaecunque meos implicat *ulva* pedes.

In v. ſeq. egregie Ariadnes turbatus & ſtupore nimio defixus depingitur animus, dum illa ſigno marmoreo, quod Baccham furentem exhibet, adſimilatur. Furore percitos & quacunque animi commotione oppreſſos cum ſaxo a poetis comparari, hoc quidem ſatis pervulgatum, de Medea Euripid. in ejusdem nominis trag. v. 27:

Ουτ' ομμ' επαιρουσ' ετ' απαλλασσεσα γης
Προσωπον, ὡσε πετρος, η θαλασσιος
Κλυδων.

Stat. Theb. V. 723. de Hypſipile:

Illa

Illa velut rupes immoto ſaxea viſu
Haeret, & expertis non audet credere Divis.

Suaviter inde Antiphanes *εν Νεανισκοις* apud Athen. VI. I. p. 224. D.

Εγω τεως μεν ωμην τας Γοργονας
Ειναι τι λογοποιημα. προς αγοραν δ' ὁταν
Ελθω, πεπισευκ' ευθυς, εμβλεπων γαρ τοις
Ιχθυοπωλοις λιθινος ευθυ γινεμαι.

Hinc orta illa Niobae in ſaxum mutatae fabula, *propter ejus aeternum in luctu ſilentium*, ut bene jam animadvertit Cicero Tuſcc. III. 26. adde Ach. Tat. p. 77. *ο της Νιοβης μυθος ουκ ην ψευδης, αλλα κακεινη τοιουτον τι* (εκπληξιν ex antec.) *παθουσα επι τη των παιδων απολειᾳ δοξαν παρειχεν εκ της ακινησιας ωσει λιθος γενομενη.* Adpoſite Apulej. Lib. VI. Sic impoſſibilitate ipſa *mutata in lapidem* Pſyche, quamvis praeſenti corpore, ſenſibus tamen aberat, & in extricabilis periculi mole obruta lacrimarum etiam extremo ſolatio carebat. Hanc vero comparationem exornavit poeta ſic, ut Ariadnen non ſaxo ſimpliciter ſed Bacchae turbato vultu & furore percitae ſigno marmoreo ſimilem exhiberet. Stuporem Bacchae egregie declaravit Horat. III. 25. 8. quem omnino vide ſis. — *Saxea effigies bacchantis Euoe* exquiſite dictum

dictum de Bacchae ſigno, quod ita ad vivum eſt expreſſa, ut bacchari, orgia celebrare videatur, quale fuit Scopae & aliorum, quae Catullo forſan obverſata fuiſſe, non inepte opineris. Pertinet huc epigr. Glauci in Anthol. Brod. IV. p. 436.

Ἁ Βακχα Παρια μεν, ενεψυχωσε δε γλυπτας
Τον λιθον· ανθρωσκει δ' ὡς βρομιαζομενη

& ejusdem:

Ἡ Βακχη Κρονιδην Σατυρον θετο· εις δε χορειαν
θρωσκει μαινομενος, ὡς βρομιαζομενη.

Poſſis vero Bacchae ſtatuam ore paulum ducto cogitare, quo clamorem illum ευοι ſculptor innuerit, uti plane deſcribitur Niobes ſtatua Callim. Apoll. 22.

Καμ μεν ὁ δακρυοεις αναβαλλεται αλγεα πετρος
Ὁσις ενι Φρυγιη διερος λιθος εσπερικται
Μαρμαρον αντι γυναικος ἐοϊζυον τε χανουσης.

Ita fere Baccha Byzantina ſculpta fuiſſe videtur ſecundum epigr. Agathiae, quod extat in Anthol. Brod. l. IV. p. 436. Ceterum hunc Catulli locum in animo habuiſſe videtur Stat. Silv. III. c. V. v. 49.

Queſta

Queſta eſt Aegiale, queſta eſt Meliboea relinqui,
Et quam quam ſaevi fecerunt Maenada planctus.

Gronov. in Diatrib. p. 225. ad hunc locum: Inter planctus & lugubrem ejulatum deprehenſa a Libero patre Cnoſis (Ariadne) Maenas facta eſt. Quae explicatio a Statii mente, uti orationis ſeries manifeſto docet, prorſus abhorret. Marklandus h. v. inter depravatiſſimos & nonniſi Codd. ope ſanandos refert in praefatione p. XX. Niſi me omnia fallunt, volebat hoc Statius: *Queſta eſt & illa* (Ariadne, ne dubita) *quam planctus quam ſaevi* h. ſaeviſſimi, maximi, (Sic Manil. I. 57.

Quantaque *quam parvi* facerent diſcrimina *motus*

quam parvi m. ſunt leviſſimi. Apulej. Met. V. — dextera ſurſum elata, niſu *quam valido* (h. validiſſimo) noxii ſerpentis nodum cervicis & capitis abſcinde. & ſic ſaepius.) *Fecerunt Maenada*, Maenadi ſimilem reddiderunt, ut, tanquam Baccha, animo extra ſe abriperetur, ſui non amplius compos eſſet. Ariadne adeo quam maxime aegre tulit ſe a Theſeo derelinqui. Hoc ardentiſſimi amoris exemplum proponit uxori ſuae Papinius, Neapolin ſecum ſecedere recuſanti, quando-

quidem aliae uxores graviſſime tulerint, quod ipſis, maritos ſequi, per fata non licuerit. Qua admiſſa interpretatione, amiciſſimo omnia nexu conſpirant. Cui tamen paulo durius videatur: *Et quam quam ſaevi*, illi auctor ſim, ut reponat:

Illaque, quam ſaevi fecerunt Maenada planctus.

v. 65. Non flavo retinens ſubtilem vertice mitram

mitra h. l. redimiculum capitis, ut & alibi. Phavorinus: Μιτρα λεγεται ὰ γυναικειος της κεφαλης αναδεσμος. Ceterum e noſtro profecit Virgil. Cir. 511.

Nunquam illam poſthac oculi videre ſuorum

Purpureas flavo retinentem vertice vittas.

cf. ibid. v. 170. ſſ.

Catullus vero ſecutus videri debet Homer. H. in Cer. 40. ſſ.

Οξυ δε μιν αραδιην αχος ελλαβεν, αμφι δε χαιταις
Αμβροσιαις κρηδεμνα δαϊζετο χερσι φιλῃσι
Κυανεον δε καλυμμα κατ' αμφοτερων βαλετ' ωμων.

quo-

quorum extremus verſus a Catullo v. 64. ita eſt expreſſus:

Non contecta levi velatum pectus amictu

quod pleniori dictione extulit poeta, cum ſufficeret *non contecta* ſ. *non velata pectore*. Ad ſententiam poetae adpoſite Theocr. Adoniaz v. 133.

Λυσασαι δε κομαν, και επι θρυα κολπον ανεισαι
Στηθεσι φαινομενοις, λιγυρας αεξωμεθ' αοιδας.

Amictus igitur ſ. veſtis, ſoluta zona pectorali (v. ſeq.) humeris deciderat. Hinc fallitur Corradinus, qui *amictum* de faſciola, pectus ambiente, interpretabatur.

v. 65. Non tereti ſtrophio luctantes vincta papillas.

Iſidorus hunc verſum tanquam Cinnae auctoris laudat, cum hac lectionis varietate:

Non tereti ſtrophio *lactantes cincta* papillas.

lactantes habent quoque tres Venett. Ald. Colin. Gryphh. & Heuric-petr. quod nullo modo ferri poteſt, ſive *lactans* ſit, qui lac praebet, ſecundum Iſid. in Differentiis apud Barth. Adverſ. XL. 10. p. 1807, cf. Burmann. ad Ovid. Metam. VII. 321. ſive, qui decipit,

ſecundum Flav. Caprum p. 2242. Agnoſcit tamen hanc lectionem Wouweren ad Petron. c. 86. & Geſner. in Theſ. L. L. *lactentes* tenet Mſc. Statii & Vicent. cum quibusdam. *Pap. lactentes* interpretari poſſis lactis ſeu omnino ſucci plenas, adeoque turgidas. Sic Ovid. faſt. I. 351. *fata* dicuntur *teneris lactentia ſuccis*. Virgil. Georg. I. 315.

Frumenta in viridi ſtipula *lactentia turguent.*

& Plin. H. N. XIII. 4. de palmis: Dos his praecipua ſucco pingui *lactentibus*. Magis adpoſite Petron. c. 86. Itaque primum implevi *lactentibus papillis* manus, mox baſio inhaeſi, deinde in unum omnia vota conjunxi. jam laudante Heinſ. Adverſſ. p. 645. Julian. in Anthol. Brod. VII. p. 632.

Εκμαινει χειλη με ῥοδοχροα, ποικιλομυθα
— — — — —
Και μαζοι γλαγοεντες, εϋζυγες, ἱμεροεντες
Ευφυεες, πασης τερπνοτεροι καλυκος.

Pariter Theocr. in ſuaviſſimo Id. XXVII. 49.

Κ. τι ῥεζεις Σατυρισκε; τι δ' ενδοθεν αψαο μαζων
Δ. Μαλα τεα πρωτισα ταδε χλοαοντα διδαξω.

μα-

μαλα χλοαοντα, uti optime reſtituit Heinſius, ſunt *papillae lactentes* progerminantes, adeoque turgentes. Heinſianam conjecturam juvat epigr. in Anthol. Brod. VII. p. 616.

Αυτη προσθεν ενι ερατοχροος, ειαρομαρσθος
Ευσφυρος, ευμηκης, ευοφρυς, ευπλοκαμος.

In Theocriti loco pro διδαξω, quod mire exercuit Criticorum ingenia, legendum forſan:

Μαλα τεα πρωτισα ταδε χλοαοντ' ετι δαξω

δακνειν de contrectatione hujusmodi ſatis uſitatum. Lucian. in Meretricibus: και περιεβαλλον, και τους μασους εθλιβον, και εδακνε μεταξυ καταφιλουσα. Sic *papillarum oppreſſiunculae* Plauto in Pſeudolo. Inſuper in Theocrito doctis viris expendendum propono:

Μαλα τεα πρωτισα ταδε χλοαοντ' ετι δραξω.

Uti plane Silenus Euripideus Cycl. 169.

Ιν' εσι τουτι τουρθον εξανισαναι
Μασθ τε δραγμος και παρεσκευασμενη
Ψαυσαι χεροιν λειμωνος.

& in Anthol. Burmann. Sec. T. II. p. 536. *decerpe-*

re ponia. Pro διδαξω poſſis quoque ſubſtituere, φιλασω more eroticis SS. ſatis frequentato. Vide Luciani & Petronii loca paulo ante adducta; & cf. praeterea Schrader. ad Muſaeum p. 322. In Catullo *lacteolae papillae* accipere quoque poſſis pro *candidis p.* Ovid. ex Pont. II. v. 37:

Non ego laudandus, ſed ſunt *tua pectora* lacte
Et non calcata candidiora nive.

Petron. in fragm. p. 668. ed. Burm.

Mellea purpureum depromunt ora rubo-reni
Lacteaque admixtus ſublimat *pectora* ſanguis.

Jam Ennius Annal. II. apud Non. v. *lacte.*

Et ſimul erubuit ſeu (leg. *ceu*) *lacte* & purpura mixta.

Sic *lactea brachia* Telephi laudat Horat. I. 13. 2. Apollon. Rhod. IV. 977.

Κυανεη μετα τηϛι δεμας, παϛαι δε γαλακτι
Ειδομεναι.

de candore pectoris in Lyr. Maxim. Anthol. ep. CCXIX.

Conde papillas, conde gemellulas
Compreſſo lacte quae modo pullulant.

&

& paulo poſt:

Conde papillas, que ne ſauciant
Candore & luxu niveï pectoris.

ubi *luxus pectoris* exquiſite dictum de luxurianti, tumenti pectore. *Lactantes* vero & *lactentes* ſaepiſſime invicem permutari teſtes vide ſis Burmann. in Anthol. l. l. & Intpp. ad Virgil. Georg. I. v. 315. Achill. Statius e depravata codicis ſui ſcriptura *lacentis* exſculpſit *lucentes*, quod de candore pariter explicandum venit. Auctor epigr. in Anthol. Brod. VII. p. 631.

Δειρη λυγδινεη και ηθεα μαζμαιροντα.

Sic ηθεα Φαινομενα Theocrito Adoniaz. l. l. 1 ſi ibi de pectore, ſoluta zona, aperto, interpretari malis, uti contra Valer. Flacco III. 526. *mamma obſcura* dicitur, quae ſtrophio vincta eſt, adeoque operta. cf. fr. Chaerem. apud Athen. XIII. c. IX. p. 608. *lucentes malas* dixit Calpurn. XI. 45.

Tu quoque, ſaeve puer, niveum ne perde colorem
Sole ſub hoc; ſolet hic *lucentes* urere *malas*.

Stat. Silv. III. IV. 65.

Olim etiam ne prima *genas* lanugo *nitentes*
Carperet, & pulcrae fuſcaret gratia formae.

ubi

ubi Marklandus malebat *ſpargeret*. Sed *lanugo carpit* h. deminuit, corrumpit genarum nitorem. Lucem genarum habes apud eundem Achill. I. 305. Sed *lacentes* pro mera aberratione ſcript. *lactentes* habendum eſſe, in proclivi eſt videre. Ventum tandem ad illam lectionis varietatem: *luctantes*, quod, etſi cum Plantin. (ubi luctanteſq; ſcribitur) & Muret. exiguo admodum numero editiones prae ſe ferant, vel ſic tamen ceteris omnibus longe praeferendum eſſe, quivis harum rerum intelligens cum Mureto, Douſa, Vulpio & aliis ſtatuet. Et ſane cauſas hujus corruptel e facile expedias. E *luctantes* librarii oſcitantia factum *lactantes*, quod, cum ad rem non faceret, a docto quodam in *lactentes* mutatum eſt. Inde, ſcripturae vitio, *lacentes* in Statii codice. *Papillae luctantur*, quae tument, protuberant, adeo, ut ſtrophio aegere coerceantur. Simillimum, licet alia de re, occurrit phantaſma apud Papin. Achill. I. 525. de Calchante κατεχομενω:

— — *exſiliunt crines, rigidisque laborat*
Vitta comis, nec colla loco, nec in ordine greſſus,

laborat vitta, quae *comas rigidas*, luctantes ſic coercet. *Luctari* pariter de igne apud Valer. Flacc. I. 204.

Protulit ut crinem denſis *luctatus* in extis
Ignis — &

& Sil. Ital. I. 174.

— — in medio *luctantes* vulnere *flammae*
Ceſſavere.

flammas luctantes malim ibi de prorumpendi impetu (ut *Luctantes venti* Virgil. Aen. I. v. 53.) interpretari contra Drakenb. Sic contra res, quae aliquid aegre coercet, ſuſtinet, poetis *laborare* dicitur. Notum Horatii I. 9. 2.

— — — nec jam ſuſtineant onus
Silvae laborantes.

quam imaginem hauſit forſan H. e Pindaro Pyth. Λ. 477.

Η συν ορθαις κιονεσσι
Δεσποσυνειοιν ερειδομενα
Μεχθον αλλοις αμφεπει

laborat trabs illa, grave aedium onus ſuſtinens, *luctans* inde ſimpliciter dicta Vitruvio Egregie vero huc facit alter Pindari locus l. l. v. 515:

— — — και
Μαν χεινος Ατλας ουρανω
προσπαλαιει.

h. tanquam alter Atlas, qui caelo obluctatur, caelum altius elevare videtur, pro vulgari qui caelum ſuſtinet, adjuncta tamen gravita-

tis notione, plane uti hanc rem elocutus eſt Sil. Ital. I. 204.

Sidera nubiferum fulcit caput, *aetherias-que*
Erigit aeternum *compages ardua cervix.*

Ita quoque *papillae* πρὸς παλαιοῦσι *obſtantur ſtrophio*, quae illud longius a ſe repellunt, tumore ſcilicet. Ad ſenſum h. v. adpoſite quoque Ariſtaenet. I. 1. ὡς κυδωνιοῦντες οἱ μαστοὶ τὴν ἀμπεχόνην ἐξωθοῦσι βίᾳ, jam notante Donſa. *Luctantes* agnoſcit quoque Heinſ. ad Ovid. Remed. Amor. 338.

omne papillae
Pectus habent tumidae, faſcia nulla tegat.

ubi laudat Martialis XIV. 134.

Faſcia *crescentes* dominae *compeſce* papillas.

Lucil. apud Nonium v. *ſtare*.

Hic pectus ſolidum invenies, hic ſtare papillas.

Pectore marmoreo.

Maximian. El. V. v. 38.

Urebant oculos *durae ſtantesque papillae*
Et quas adſtringens claudere et una manus.

Inclinatas p. contra dixit Propert. II. 12. 21.

Nec dum *inclinatae* prohibent te ludere *mammae*

Similiter Agath. in Anthol. Brod. VII. p. 601.

Μαζὸς ὑπελλανθη, περον ὀφρυες, ἀμμα τετηκται
χειλεα βαμβαινει φθεγματι γηραλεῳ

Rationem vero, qua inductus Corradinus hanc ſcripturam rejiciendam exiſtimat, nimirum „improprium eſſe puellae virginis habere papillas intumeſcentes, aliis expendendam relinquimus ſatis nos Critici officio feciſſe arbitrantes, ſi poetarum teſtimoniis contrarium oſtendamus. Ed. IV. in Anthol. Steph. f. 689. καὶ μαζὸς, ἀκμὴς ἀγγελος, κυδωνια. Sic Ariſtaenet. I. 3. μασθον της ποθουμενης vocat κυδωνιωντα. Nonnus I. p. 28. de Europa:

— — — — ἀπο στερνοιο δε νυμφης
Οἰδαλεην ἐθλιψεν ἀκαμπεος ἀντυγα μαζου.

tumere nimirum in genere de pubertate, inprimisque de puellis, viro tempeſtivis adhibetur poetis. Claudian. Epithal. Pallad. & Celer. 125.

matura tumeſcit
Virginitas, ſuperatque nives ac lilia candor.

quem

quem locum apte laudat Barth. ad Stat. Achill. I. 290.

Virginitas matura toris, annique tumentes,

cave ibi cum quibusdam legas *animique tumentes.* Ita quoque Gesnerus illa Claudiani Laud. Seren. 121.

Utraque luminibus *tumidum* micat.

contra Heinſ. explicat. Alia loca huc ſpectantia collegi in Epiſt. crit. p. 79. Non. Marc. v. *Strophium:* faſcia brevis, quae *virginalem errorem* (leg. *horrorem* uti *papillae horridulae* Plauto dicuntur) cohibet papillarum.

v. 66, 7. Omnia quae toto delapſa e corpore paſſim
Ipſius ante pedes fluctus ſalis adludebant.

In deſcribendis gravioribus animi commotionibus ſolemne eſt poetis, veſtis ſeu cujusque rei, quam tractant ita adfecti homines, prolapſae mentionem injicere. Ovid. Heroid. XX. 207.

Ut, te dum nimium miror, (*nota certa furoris*)
Deciderint humero pallia lapſa meo.

inprimis de timore, e. g. Homer. Il. X. 448.

τῆς δ' ἐλελιχθη γυια, χαμαι δε ἑ ἐκπεσε κερκις.

ubi

ubi vide Interpp. Statius de Achille virum se fasso, Achill. II. 203.

Illius intactae ceciderunt pectore vestes.

adde similem de Baccho locum Theb. VII. 150.

Purpureum tristi turbatus pectora vultum
Non crines non serta loco; dextramque reliquit
Thyrsus & *intactae ceciderunt cornibus uvae.*
Ergo, ut erat, lacrimis, *lapsoque inhonorus amictu* &c.

alludebant ita Vicent. Venett. & Ald. cum quibusdam, alii ut Colin. Gryph. & Henric. petr. *allidebant* & *allidebat.* Quam lectionem probabat Scaliger, Guarinus quoque eidem calculum suum adjecisse videtur, respiciens h. l. in Ecloga, quae *Lycidas* inscribitur:

Stabat humi positum crudeli corpus arena
Foedatum, & *pedibus fluctus salis adlidebant.*

Quam Ecl. cum aliis ejusdem exhibuit *Barthius*, Ill. Scholae Portensis *decus eximium, magnis virtutibus augens*, ut Catulliana mea faciam, in *Eclogg. poett. recentt.* p. 148. *Adlidebant* defendere possis Senec. Hippol. 6. ubi *verberare* de fluvio terram alluente dictum. Propert. III. 15. 32.

Et

Et *feries* nudos *veſte* fluente *pedes.*

Papinius Achill. I. 100.

— — — liquidum ter greſſibus aequor
Reppulit & *niveas feriunt vada* Theſſala *plantas.*

cujus locum ob oculos habuit Claudian. de Nuptt. Honor. & Mar. v. 147. adde Stat. Silv. III. 2. 38. de Glauco:

Litoream blanda *ferient* Anthedona cauda.

cf. Burmann. ad Valer. Flacc. I. 385. & Heyn. V. S. ad Tibull. 3. 4. 35. Simili, paulo tamen inſolentiori modo Statius Theb. II. 556. de Tydeo:

— — abſciſſis *infringens* cautibus uncas
Exſuperat juga dira manus.

cave ibi cum quibusdam legas: *infigens.* Nam hoc ipſo, ſatis intolenti, multo inſolentius eſt, quod dedit Achill. I. 575.

— — — ducitque manum, *digitos*que ſonanti
Infringit citharae.

ut Latinis adlidere, ita Graecis βάλλειν in uſu. Aeſchyl. Agam. 1400.

βάλλει μ' ἐρεμνῇ ψεκάδι Φοινίας δρόσου.

Alteram tamen lectionem *adludebant* praeferunt Statius & cum Voſſio Vulpius. Recte. Nam

Nam haud dubie ſuaviorem animo ſubjicit imaginem. Alludere enim eſt poetis, *leni ſtrepitu adtingere.* De Auſtro exquiſite Valer. Flacc. VI. 665.

Ac velut ante comas, ac ſumma cacumina ſilvae
Lenibus adludit flabris levis Auſter —

Senec. Thyeſt. 156.

— — — — tremens
Adludit patulis arbor hiatibus.

Statius Theb. IX. 335.

Jam ſecura maris, teneris jam cornua palmis
Non tenet, extremis *adludunt aequora plantis.*

cf. Stat. & Paſſerat. h. l. Graecis προσπαιζειν, προσγελαν pariter hac de re. Moſchop. citante Voſſio: προσπαιζειν το κυμα τω αιγιαλω λεγεται νηνεμιας ουσης. pro quo Theocritus ſuaviter uſurpavit σαινειν Eid. 5. 12.

— — — — — τα δε νιν καλα κυματα σαινει
Ασυχα καχλαζοντα επ' αιγιαλοιο θεουσαν.

uti egregie h. l. perſanavit Magnus ille Hemſterhuſ. addicente Valkenario doctiſſimo. Uti σαινειν Graecis, ita pari virtute Latinis *adulari* venit. Avienus Perieg. 338.

— ut-

— — — — — utque Syenae
Caerulus accedens ditis loca *flumine adu-*
lat
Nomine ſe claro Nilum trahit.

Statius Achill. I. 102.

— — — lateque deae Sperchios *adulat*
Obvius, & dulci veſtigia circuit unda.

Sic enim ibi forſan legendum pro eo, quod nunc vulgatur: *abundat.* Cui emendationi ipſius Statii auctoritas accedere videtur Theb. IX. 324. ubi agit de Crenaeo, in Ismeno fluvio verſanti:

Laetus *adulantem* nunc huc nunc margi-
ne ab illo
Tranſit avum.

cf. Valken. doctiſſimum ad Hippol. Euripidis v. 862. p. 256. Ceterum lectionem *adludebant* firmat quoque Codex Palatinus, teſte Barthio ad Pap. Stat. IX. 336.

v. 68-70. Sed neque tum mitrae neque tum
fluitantis amictus
Illa vicem curans toto ex te pectore The-
ſeu
Toto animo, tota pendebat perdita men-
te.

fluctuantis amictus habent Venett. vitioſe. Sub *amictu* Corradin. intelligit ſtrophium; quidni veſtes

veſtes omnino humeris delapſas, aquis huc illuc agitatas? hoc enim eſt *am. fluitans.* Apte laudat Vulp. Lucret. II. 555. *fluitantia aplyſtria.* quocum tamen Statii interpretationem, *amictum fluit.* laxum, adeoque ventis agitatum accipientis, tanquam omnino perperam inſtitutam pronunciare nolim. Sic Lucret. II. 596. *frondes fluidæ* vento motae. Pariter Ovid. Metam. XI. 470. & Propert. III. 20. 12. *vela* dicuntur *fluitantia.* Claudian. de VI. Conſ. Hon. v. 565.

— — — — — quid fixa draconum
Ora velint? *ventis fluitent*, an vera minentur?

& in Rufin. I. 75.

Laſſa recedentis *fluitant* veſtigia venti.

Idem in Epithal. Pallad. 11. *fluitant arcus*, nervi remiſſis. Vulpianam tamen rationem tanquam accommodatiorem h. l vel ſic praefero. *Vicem mitrae non curans*, parvi pendens quid mitrae, quid amictui fieret, bene idem Vulp. niſi *vicem mitrae*, *amictus* ἀρχαϊκῶς dictum accipere malis pro ſimplici: *mitram, amictum.* uti in illo Plauti: ſi vis excruciare *vicem meam* h. e. *me.* quem locum laudat in hanc rem Tollius ad Auſon. p. 568. — v. 69. Aldus legit:

— — — — — toto te pectore Theſeu
Toto animo, tota *prodebat perdita* mente.

omiſſo *ex*. quod alii omittunt, Plures vero: *toto te ex pectore*, male. *prodebat perdita* legit quoque Ms. Scaligeri, quod cum Ach. Statio poetae reſtituendum opinabatur idem vir doctus. Broukhuſ. quoque idem praetuliſſe videtur, laudans h. l. cum Scaligeri ſcriptura ad Propert. I. IX. 21. Qua quidem admiſſa, Catullum Ariadnen Theſei nomen in clamantem, qualis deſcribitur Ovid. Herod. X. 21.

Interea toto clamanti litore, Theſeu
Reddebant nomen concava ſaxa tuum.

induxiſſe dicendum eſt. Sed praeterquam quod illa: *toto animo*, *pectore*, *mente* minus apte tum poſita videantur, ipſa Ariadnae ſtupore defixae conditio hoc reſpuere videtur, id quod jam a Corradino monitum video. Alii pro *pendebat* leg. *perdebat* vitioſe. Optime vero habet vulgata lectio. *Pendebat Ariadne ex Theſeo*, quae illum diſcedentem defixo proſequebatur vultu. Nota illa Ovid. Heroid. I.

Narrantis conjux pendet ab ore viri.

adde Horat. Epiſt. II. 1. 96.

Suſpen-

Suſpendit picta vultum mentem que tabella.

ubi multum fallitur Geſnerus, qui „de *pictura ſuſpenſa* ibi cogitabat, qua vultus & „lineamenta oris ita expreſſa ſint, ut phyſiognomon aliquis inde judicare de mente & „moribus poſſet, vel quod familiarius, ut „quivis ſpectator videret ſed ita, an perturbata mente, hilares an triſtes eſſent;„ cum contextus ratio alium prorſus explicandi modum ſuadeat, imo flagitet, nimirum, *Graeciam, ex quo pacis otia mores in luxuriam verterent, variis exarſiſſe ſtudiis, nunc athletarum, nunc equorum, nunc ſtatuis cujuscunque materiae, nunc picturis quam maxime delectatam fuiſſe.* Pariter Manil. V. 655. de funambulo:

At caeli meditatus iter, veſtigia perdet
Pene ſua, & pendens *populum ſuſpendet* ab *ipſo.*

Vultus & mens adeoque ſuſpenditur, quae maxima cum cupiditate tabulam ſuſpenſam oculis perluſtrat. *perdita* exprimit miſeram Ariadnes conditionem, vel potius ſummum ipſius amorem, quem declarabat hoc ipſo, quod Theſeum oculis proſequeretur. Apte laudat Stat. Virgil. Ecl. VIII. 88.

— — — — — — procumbit in ulva
Perdita, nec ſerae meminit decedere nocti.

Adde eund. Cir. 428.

Ten'ego plus patrio dilexi *perdita* regno?

Tibull. II. 7. 33.

Tunc morior curis, tunc mens mihi *perdita* fingit.

uti quoque interpretabatur Burmann. ὁ πανυ ad Propert. I. XIII. 7.

Perditus in quadam tardis palleſcere curis
Incipis.

ubi plura exempla adlata vide ſis.

v. 71. Ah miſeram, aſſiduis quam luctibus externavit

Spinoſas Erycina ferens in pectore curas. Ita maxima pars librorum legit h. v. Nonnulli tamen *miſera* & *extenuavit*, ut Vicent. Aldd. Gryphh. cum Statio, non omnino male, ſiquidem *extenuari luctibus* dictum, ut *dolore moerore confici.* Seneca Hippol 375. *populatur artus cura.* de infelici Phaedrae amore. Apollon. Rhod. III. 762.

— — — — — ενδοθι δ'αιει
τειρ'οδυνη σμυχουσα δια χροος, αμφι τ'αραιας

Ivas

Ινας και κεφαλης ὑπο νειατεν ιριον αχρις.

Theocrit. III. 17.

Ὡς με καταρμυχων καμψ ες οσεον αχρις ικηται.

Euripid. Rheſus v. 425.

Λυπη προς ἡπαρ δυσφορων ετειρομην

Sed praeterquam quod altera lectio *externavit* plurium codd. nitatur auctoritate, & Nonius ita quoque legerit, accommodatiorem ſane (v. v. 60. ſſ.) orationi conciliat ſenſum. *Externari* vero dicuntur quocunque tandem animi adfectu commoti. Homerus de Agamemnone Il. X. 93.

Αινως γαρ Δαναων περι δειδια, ὡδε μοι ητορ
Εμπεδον, αλλ' αλαλυκτημαι, καρδιη δε μοι ενδον
Στηθεων εκθρωσκει, τρομεει δ' ὑπο φαιδιμα γυια.

Apollon. Rhod. III. 962.

Εκ δ' αρα οἱ καρδιη στηθεων πεσεν — —

ibid. 865.

Ιαπετιο παις οδυνη περι θυμον αλυων

Theocrit. XXV. 262. leonem deſcribit

— — — ὀδυναῖσι παραφρονεοντα βαρειαις.

Archilochus apud Stob. LXII. p. 397. de amoris furore:

Κλεψας εκ σηθεων ἁπαλας φρενας.

cf. Sapph. Od. v. 7. unde Catullus

miſero quod omnes
Eripit ſenſus.

Apulej. Metam. L. V. tunc Pſyche miſella — — rapitur verborum tam triſti formidine, & *extra terminum mentis ſuae poſita*, prorſus omnium mariti monitionum, ſuarumque promiſſionum memoriam effudit &c. Pacatus in Paneg. Animos noſtros, ſubitis adfectibus impares perinde lætitia ac dolor, ſi deprehendat, *externat*. v. Heinſ. ad Ovid. Met. I. 641. alia Apuleji loca ſuggerentem. *Erycina* Venus *ſerit curas in pectore*, cum dilectu pro: pectus replet, obruit curis. Sic Lucret. V. 1289.

— — — — aereque belli
Miſcebant fluctus, & volnera vaſta *ſerebant*

Apte laudant ibi Intpp. Plautinum illud. *pugnor*

gnos in faciem ferere. vid. omnino Zinzerling. Promulſ. c. XX. Sic *ſpargere* de crebro caeſtuum ictu, Stat. Achill. II. 441.

— — — — ſpargere caeſtus
Ludus erat requiesque mihi.

miſcere incendia late ſerere, ſpargere incendia Virgil. Aen. II. v. 329. Magis vero adpoſite Apulej. VI. Met. in fine: Quis autem te Deûm, quis hominum patietur, *paſſim cupidines populis diſſeminantem*, cum tuae domus amores amare coerceas, & vitiorum muliebrium praecludas officinam? cf. Burmann. ad Anthol. Lat. T. I. p. 175. *Curae* ſunt h. l. quae amorem comitantur, ſollicitudo, dolor, metus. Ovid. Art. Am. I. 735.

Adtenuent juvenum vigilatae corpora noctes
Curaque &, e magno qui ſit amore, dolor.

infra v. 250.

Multiplices animo volvebat ſaucia *curas.*

& LXVII. 51.

Nam mihi quum dederit duplex Amathuntia *curam*

quod ſe Theocrito XVII. 52.

Πασιν δ' ηπιος ηδε βροτοις, μαλακας μεν ερωτας
Προσπνειει, κηφας δε διδοι ποθεουτι μεριμνας.

Anthol. Brod. IV. de Amore:

Ευδεις αγρυπνους, επαγων θνητοισι μεριμνας.

Nonno l. XII. Dionyſ. μεριμναι dicuntur ποθοβλητοι. Alias *cura* ſimpliciter de *amore*. Unicum tantum, cum res ſatis nota ſit, Ovidii locum, qui nunc in libris depravate circumfertur, & cui medicinam paratam habeo, excitare liceat, Heroid. VII. 33.

Aut ego, quem coepi, (neque enim dedignor) amare
Materiem *curae* praebeat ille meae.

το *aut ego*, quo referas, non habes. Lege indubitata conjectura:

Atque, ego quem coepi, (neque enim dedignor) amare

vide, quae ibi antecedunt. Paulo aliter Burmannus. Graecarum loca collegit Koen. ad Gregor. Dial. p. 78. *Curas ſpinoſas* vocat poeta, quae animum cruciant, pungunt. *Spinas adfectuum* ſimili modo dixit Boethius, cujus locum noſtro jam admovit Barth. Adverſ.

verſ. XIX. c. 14. p. 991. Solemne eſt vero poetis, adfectibus gravioribus, morſus & ſpicula dare. δηγμα λυπης habes apud Aeſchyl. Agam. v. 800. δηγμα ερωτος Sophocl. apud Plutarch. t. II. p. 619. quem locum debeo eruditiſſimo Valken. ad Hippol. 1303. p. 305. cujus doctiſſimam notam omnino vide ſis. κεντρα μεριμνης in Nonno quoque invenias.

v. 73–75.

Illa tempeſtate, ferox quo & tempore Theſeus
Egreſſus curvis e littoribus Piraei
Attigit injuſti regis Gortynia tecta.

In plerisque libris poſt v. *curas* v. antec. diſtinctio eſt poſita, quam nos, cum omnino ſententiarum nexui repugnet, cum Cantabrig. & aliis ſuſtulimus. Pleniorem dictionem, *illa tempeſtate, quo tempore* bene defendit Voſſius ſimili illa Ciceronis: *ejus temporis, quo die.* Eadem verba eodem fere modo cumulata invenias quoque apud Lucil. cujus fragmentum ſervavit Pellius N. A. III. 14. p. 249.

Tempeſtate ſua, atque *eodem uno tempore* & horae
Dimidio.

Ceterum v. 73. cum aliqua lectionis varietate in libris legitur. Cod. Voſſ. & Vicent. *ferox & t.* ita quoque cum Ald. Scalig. At Venett. Gryph. & alii *ferox que &*, una cum Statii Mss. ſcribarum vitio pro: *ferox quo &* quod in plurimis M.s. & editis libris obtinet. v. 74. Ald. I. Colin. Gryph. I. Henric-petr. *Pyreaei* reliquae Gryphh. cum Plaut. *Pyraei* male. *v. 75. Gortynia templa* exhibet Cod. Guelpherb. cum Ven. a. 1481. & aliis doctius utique.

v. 80.

Quis angusta malis cum moenia vexarentur.

Sic major pars librorum. Reliqui: *auguſta moenia*, quae vel propter magnitudinem, vel, quod a Minerva & Neptuno exſtructa fuerint, ita dici poſſe cenſebat Scaliger, quem refellere conatur Voſſius, monetque, omnia fere moenia hanc ob cauſam *auguſta* vocari poſſe, cum quaevis fere civitas deum aliquem conditorem jactitet, neque tamen ſic adpellari. Alterum, ait, hiſtoricae omnino repugnat fidei, nam Athenae ante hanc Theſei expeditionem vix *amplae* recte dici poterant. Ideoque ſequitur alteram lectionem, *anguſta*, quoniam Athenarum oppidum tunc temporis exiguum fuerit, priusquam Theſeus

ſeus, poſt Minotauri ſtragem illud, coactis in urbem Atticae populis, ampliaret. Utut haec a Voſſio diſputata hiſtoriae quam maxime ſuffulciantur fide, & *anguſta moenia* recte de exiguo oppido dicantur, ut Ovid. Faſt. III. 181., aliam tamen eamque magis poeticam h. l. explicandi rationem iniri debere, certo mihi perſuaſum habeo. Quod pedeſtris oratio ita efferret: *moenia ſunt in anguſtiis malorum*, aut *vexantur malis* hoc cumulat poeta: *moenia, anguſta malis, vexantur. Anguſtiis urgueri* & ſim. Ciceroni quoque in uſu, e. g. de fato XVII. ad Div. X. 16. *Anguſtum* vero poetis pro anguſtato, coarctato dicitur. Claudian. R. P. I.

Aegaeon poſitis *arcto* de *corpore* nodis.

ubi arctum corpus eſt vinculis conſtrictum, ex imitatione Statii Theb. IV. 535.

anguſtam centeni *Aegaeonis umbram.*

Quibus tamen haec non ſatisfaciant, illi per me reponant:

Queis *arctata* malis cum moenia vexarentur.

quod ſane facilius eſt. Et *arctata* in Codd. quoque cum *anguſta* variat. e. g. apud Tibull. I. IV. 11.

— — — *anguſtis* quod equum compeſcit habenis

Cod. Reg. teſte Heynio V. Ill. offert *armatis*, unde *arctatis* quosdam legiſſe acute idem Vir ſummus conjicit. Poſſis quoque;

Queis *agitata* malis cum moenia vexarentur

agitata vexarentur, copioſiori dictione cum alterum ſufficiſſet, *agitarentur*, aut *vexarentur*. Quibus doctiora adridebunt, iis adblandiri poſſit:

Queis *Actaea* malis cum moenia vexarentur.

Ceterum Statii libri duo tenent *verſarentur*, confuſione ſolemni. cf. Burman. ad Ovid. Amorr. II. 2, 29. & Bentlei. ad Horat. I. 7, 15. Eadem varietas in Statio Theb. V. 613. de Archemoro;

— — — modo quem digreſſa reliqui
Laſcivum, & prono *vexantem* gramina curſu

ubi ed. Antw. Mss Heinſii & Barthii *verſantem* quod defendas Theb. IV. 787. In noſtro loco, utcunque legas, eodem redire videtur; niſi *verſarentur* magis poeticum habeas.

beas. *Urbs verſatur*, quae vel pavore aliquo vel periculo perculſa tranquillo ſtatu dejicitur Sic πολιν σειειν Euripid. Oreſt. 612. Pindar. Pyth. 4, 484.

v. 86–90.

Hunc ſimulac cupido conſpexit lumine virgo
Regia, quam ſuaves exſpirans caſtus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat.
Quales Eurotae progignunt flumina myrtus,
Aurave diſtinctos educit verna colores:

Lumen ſeu oculos Ariadnes dicit *cupidos* quippe amantis. Virgil. Cir. 132.

O nimium *cupidis* ſi non inhiaſſet *ocellis*.

imitatus forſan Lucret. I. 36.

Atque ita ſuſpiciens tereti cervice repoſta
Paſcit amore *avidos* inhians in te Dea *viſus*.

nimium lumen Stat. Achill. I. 583.

— — — *nimio* quod *lumine* ſeſe
Figat, & in verbis intempeſtivus anhelet.

quam ſuaves &c. quae in thalamo, matris cura enutrita, ſurculi inſtar, adoleſcebat. Magno

gno hanc ſententiam ornatu extulit poeta. Quanto ſimplicius, quem ob oculos habuit noſter, Theocrit. Eid. κδ. v. 101.

Ἡρακλεης δ' ὑπο μητρι, νεον Φυτον ὡς ἐν ἀλωᾳ
Ετρεφετ'.

Jam expendamus ſingula. *Lectulus exſpirans ſuaves odores* eſt Homer. θαλαμος θυωδης, ευωδης. Noſtrum expreſſit Virgil. Cir. init.

Etſi me vario jactatum laudis amore

— — — — — —

Cecropius *ſuaves exſpirans hortulus auras*
Florentis viridi Sophiae *complectitur* umbra.

ubi το *vario* ab Heynio V.S. tentatum nolim, nam *jactatum* haud obſcure innuit, poetam variis modis famam ſectatum fuiſſe. *Lectus alit illam*, quatenus ibi primam aetatem exigit. *in complexu matris* vide LVIII. 58. & LXIX, 21. adde Heſiod. Εργ. v. 520. de virgine:

Ἡτε δομων εντοσθε φιλη παρα μητερι μιμνει
Ουπω εργ' ειδυια πολιχρυσου Αφροδιτης.

v. 89. ſuccreſcit Ariadne myrti aut floris inſtar. Pariter Catull. LVIII. 21. de virgine:

Flori-

Floridis velut enitens
Myrtus aſia ramulis

adde ib. v. 91. Eurotae ripas myrtis conſitas fuiſſe vix aliunde conſtat; niſi in Virgil. Cir. v. 376.

— Amyclaeo ſpargens altaria *thallo*

thallum de *myrtis*, circa Eurotam cum Heynio intelligere velis. Graecis ſemper hic fluvius audit δονακοεις ut Eurip. Hel. 210. Iphig. in Aul. 176. δονακοτροφος. — v. 90. *Aura verna*, Zephyrus *educit*, elicit, facit progerminare *diſtinctos colores* flores varios. *educere* elegans verbum hac de re, quod alias *ſubmittere*, ut Lucret. I. 7. & inde Propert. I. 2. 9. & ανα πεμπειν Pindaro Pyth. Θ, v. 82.

Οσσα δε χθων ηεινα φυλ'
Λ' αναπεμπει.

Hinc Lucretio I. 11. *Favonius* dictus *genitalis* & αυρα Nonno καρποτοκοι.

v. 91 — 94.

Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam *cuncto* concepit pectora flammam
Funditus, atque imis exarſit *tota* medullis,
Heu miſere exagitans immiti corde furores.

Pro-

Profecit ex hoc loco Virgil. Cir. 160.

Heu nimium tereti nimium Tirynthia visu
Virginis in tenera defixerat omnia mente,
Quae simulac venis hausit sitientibus ignem
Et validum penitus concepit in ossa furorem —

notante jam ibi Scalig. Apollon. Rhod. III. 286. de Medea:

— — — βελος δ' ενεδαιετο κηρι
Νερθεν υπο κραδιη Φλογι εικελον· αυτικα δ' αιεν
Βαλλεν επ' Αισονιδην αμαρυγματα, και οι αηντο
Στηθεων εκ πυκινας καματῳ φρενες, ωδε τιν' αλλην
Μνησιν εχε, γλυκερη δε κατειβετο θυμον ανιη

adde Stat. Achill. I. 301. Senec. Hippol. 637. — *lumina flagrantia* amorem indicantia, Moscho οφθαλμοι ιμερον ασραπτοντες. *ardentia lumina* Valer. Flacc. VI. 656. loco nostro valde simili:

At regina virum (neque enim deus amovet ignem)
Persequitur lustrans, oculisque *ardentibus haeret*

qui

qui tamen preſſe ſequitur Apollon. Rhod. III. 444. cujus locum, cum nulli interpretum in mentem venerit, adponere non gravabor:

— — — επ' αυτῳ δ' ομματα κυρη
Λοξα παρα λιπαρην σχομενη θηειτο καλυπτρην
Κηρ' αχεϊ σμυχομενη· νοος δε οἱ ηυτ' ονειρος
Ερπυζων πεποτητο μετ' ιχνια νισσομενοιο

unde & ſua hauſit Muſaeus v. 71. de Hero:

Ηδ' αρα καλλιθεμεθλον επη κατα ναον αλατο,
Εσπομενον νοον ειχε και ομματα και Φρενας ανδρων

quod Schraderum, Virum diligentiſſimum, non animadvertiſſe miror. de amore per oculos in pectus ſe inſinuante, ſuaviter Achilles Tatius I. p. 7. ed. Commel. καλλος γαρ οξυτερον τιτρωσκει βελους, και δια των οφθαλμων εις την ψυχην καταφερει· οφθαλμος γαρ οδος ερωτικῳ τραυματι. & paucis interpoſitis: τους δε οφθαλμους αφελκειν μεν απο της κορης εβιαζομην, οἱ δε ουκ ηθελον, αλλ' εἱλκεν εαυτους τῳ τυ καλλους ἑλκομενοι πτασματι, και, τελος, ενικησαν. adde p. 123. l. 7. & quae ibi ſequuntur — v. 92. quidam pro *cuncto* offerunt *toto*. Quae ſi admittatur lectio, in ſequenti verſu Heinſius in Adverſ. p. 646. legendum proponebat:

exarſit *toſta* medullis.

Non male. Catull. 98. 7.

Quum veſana *meas torreret flamma medullas*

& 67. 52.

— & in quo me *torruerit* genere.

ut Horatii, Tibulli, Propertii loca mittam. Theocrit. XXIII. 33.

Ηξει καιρος εκεινος, οπανικα καϑ τυ Φιλασεις
Ἀνικα ταν καρδιαν οπτευμενος ἀλμυρα κλαυσεις.

& VII. 51.

Αι κεν τον Λυκιδαν οπτευμενον εξ Αφροδιτας
Ρυσηται ϑερμας· γαρ ερως αυτῳ με καταϑει.

Neque tamen *tuncto* plurimorum librorum auctoritate ſuffultum ſine juſta cauſa moveri omnino velim; qua etiam de cauſa *cupido*, quod olim pro *cuncto* conjeceram, nunc rejicio. Calpurn. Eclog. XI. 66.

Quum ſic in Meroe *totis* miſer *ignibus arſi*.

h. tota arſi in M. vid. ibi Wernsdorf. V. Ill.— In v. 94. pro *Heu m.* unus Statii Cod. *Cum m.* male. In explicando & diſtinguendo hoc verſu interpretes in diverſa abeunt; nec mirum,

rum, cum ſenſus verborum ſit paulo reconditior. Pallad. Fuſc. h. v. cum ſequentibus jungendum cenſet ita, ut apoſtrophe ad Amorem & Venerem ab h. v. incipiat. Et ſane, hac admiſſa interpunctione, multum omnino obſcuritatis tollitur. Parthen. *in miti* diviſim legit, explicat enim: *in corde puellari, quod mite humanumque ſolet eſſe.* Heinus commode h. l. Etſi Palladii rationem non plane contemnendam duxerim, rectius tamen apoſtrophen a. v. ſ. *Sancte puer* cet. ut in Apollonii & Oppiani noſtro ſimilibus locis paulo poſt adducendis: Σχετλι' ερως orationem ordiuntur, incipere, nemo facile infitias ibit. Videndum igitur an, retento cum plurimis libris poſt *furores* inciſo, commodus ſatis inde ſenſus emergat. *Ariadne agitat furores* quatenus amorem, oculis conceptum, animo nutrit, agitando irritat. Sic Senec. Tyeſt. 179. *agere iras.* Adpoſite quoque Statius Silv. V. I. v. 202.

Incubat amiſſae, *merſumque in corde dolorem*
Saevus *agit.*

h. e. nutrit, indulgendo, dolorem. Non itaque erat, quod Marklandus illud multo fortius verbum, in *alit*, quod quidem hac de re pervulgatius eſt, temere mutaret. Male quoque Barthius jungebat *merſum agit*, quod

pro *demergit in corda* (ſic enim pro in *corde* legi volebat) dictum accipiebat. Grat. Fal. Cyneg. 270.

Os magnum, & patulis *agitatos morſibus ignes*
Spirent.

Mire vero hanc meam Catulliani loci interpretationem ſuſtentat, eamque, meo certe ſenſu, tanquam unice veram evincit Moſch. Id. III. 85.

— — — καὶ τὸν ἔρωτα
Ετρεφεν ἐν κολποισι καὶ ηρεθε ταν Αφροδιταν

uti egregie illum locum conſtituerunt Valken. & Brunk. *Cor immite* eſt, quod nondum amori ſuccubuit. Sic *trux Achilles* Statio Achill. l. v. 301.

Hanc ubi ducentem longe ſocia agmina vidit
Trux puer & nullo temetatus pectora motu,
Deriguit, totisque novum bibit oſſibus ignem.

ubi ſequentia Achillem *trucem* bene declarant. Idem Theb. XII. 534.

Hippolyte, jam *blauda genas*, patiensque mariti
Foederis.

adde

adde Ovid. A. A. II. 177. & Tibull. III. 6. 15. de Amore:

Ille facit *mites* animos Deus, ille ferocem
Contudit, & dominae miſit in arbitrium.

uti praeclare emendavit illum locum Heynius Vir ſagaciſſimus, addicente Burmanno quoque ad Propert. I. 5. 12. — Suo igitur quisque in diſtinguendo hoc loco fruatur judicio: mihi certe haec, ut paullo exquiſitior, praeplacet explicandi ratio.

v. 95 – 98.

Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces
Quaeque regis *Golgos*, quaeque Italium frondoſum,
Qualibus incenſam jactaſtis mente puellam
Fluctibus, in flavo ſaepe hoſpite ſuſpirantem.

Converſio ad Amorem & Venerem ſuaviſſima, cujus tamen inventae laus debetur Apollonio Rhod. IV. 445.

Σχετλι' ερως μεγα πημα, μεγα συγος ανθρωποισιν
Εκ σεθεν αυλομεναι τ' ερίδες, συναχαι τε γοοι τε

Ανδρασι θ'υψοτατω
Πεμπει μεριμνας.

v. 96, *Quique* obtinebat vett. libros, recte a Viris doctis Veneri adcommodatum. *Golgi* urbs Cypri, ubi Veneris praecipuus cultus. Theocrit. Adoniaz. 100.

Δεσποιν' ἀ Γολγους τε και Ιδαλιον εφιλασας.

ubi Valken. laudat Catull. XXXIV. 12.

Quae ſanctum Idalium *Uriosque* portus
Colis, quaeque Amathunta, quaeque *Golgos.*

Urios ita lego cum Burmanno in Anthol. L. p. 685. De Venere Golgica Lycophr. 588. — *Idalium frondoſam* reponere geſtiebat Scalig. male. quamvis de *Ilio*, quod probandae rei inſervire putabat, negare non auſim. vid. Bentl. ad Horat. III. 3. 23. — v. 97. *qualibet* in omnibus Mss. extare teſtatur Statius. minus bene. Audiamus tamen Corradinum: „Non eſt poena par, quae audaciae corre„ctorum reſpondere poſſit; quid tum? In „Mss omnibus Achille teſte legebatur *qualibet* „venuſtum, & optimum; alibi poeta (XL. 6.)

„Quid vis? *qualubet* eſſe notus optas?

„quod

„quod tamen reſpuerunt docti, ut eorum „ſomnia non Catullum legeremus. Senſus „enim eſt: Sancte puer, & o Venus, *qua-* „*libet certe ratione* jactaſtis fluctibus puellam, „*& ſane* quantos illa tulit &c. Cave igitur „legas *qualibus*, ſpurium, quod Vulpius ſe- „cutus eſt, & inelegans, a nemine forſan „aureo ſcriptore pluraliter uſurpatum.„ Sed *qualibus*, de cujus emendationis auctore mihi quidem non conſtat, orationem reddit erectiorem, eamque lectionem ea, quae ſequuntur: *Quantos illa tulit* cet. unice volunt. *Jactari fluctibus*, de corporis, animique morbis adhiberi, res nota. Pariter χειμαζεσθαι Graecis. Vid. Valken. ad Euripid. Hippol. p. 199. A. Hinc egregie de aeſtu amantum. Heliodor. l. II. p. 138. μεταβολη παντοια χρωας τε και βλεμματος της ψυχης τον σαλον κατηγορησε. Ariſtaenet. I. 10. αλλ' ωτε θαλαττης τρικυμιας, ουτε πεθω κορυφωμενον σαλον ευμαρες αφηγεισθαι. ubi Abreſch. Heliodori locum non neglexit. Suaviter quoque Meleag. in epigr. XLIV.

Χειμεριον μεν πνευμα. Φερε δ' επι σοι με, Μυϊσκε
Αρπασον· κωμοις ὁ γλυκυδακρυς Ερως
Κυμαινει δε βαρυ πνευσας Ποθος.

adde ejusd. epigr. XXIX. Alcaeus XI. 6. in

Αλγεα τ' αλλ' επι τοισιν απειρονα τετρηχασι·
Δυσμενεων επι πασι κορυσσεο, δαιμον, αερθεις,
Οἷος Μηδειη συγερην Φρεσιν εμβαλες ατην.

unde profecit Oppian. Halieut. IV. 11. cujus vv. cum orationis color in iis, Catulli vv. valde ſimilis ſit, adponere viſum eſt:

Σχετλι' ερως δολομητα, θεων καλλισε μεν οσσοις
Εισιδεειν, αλγισε θ' ὁτε κραδιην ορθυνεις
Εμπιπτων αδοκητος, ὑπο Φρενα δ' ὡσε θυελλα
Μισγεκι' ασθμαινεις δε πυρος δριμειαν ομοκλην
Παφλαζων οδυνησι και ακριτοισι μανιαις.

cf. eundem Cyneg. II. 410. ſſ. — Docte ſatis περιφραζει Catullus Amorem γλυκυπικρον γλυκυδακρυν, verbis.: *qui curis gaudia miſcet* Pariter Catull. LXV. 17.

Multa ſatis luſi, non eſt dea neſcia noſtri
Quae dulcem curis miſcet amaritiem.

Ad ſententiam Euripid. fragm. X. in Aeolo. Callimachus in Fragm. p. 569.

επει

επει θεος ωδε γελασαι
Ακλαυτει μεροπεσσιν οϊζυροισιν εδωκεν.

Theocrit. Id. ιζ. 51.

Πασιν δ'ηπιος ηδε βροτοις, μαλακως μεν ερωτας
Προσπνειει, κωφας δε διδοι ποθεοντι μεριμνας.

Magis vero huc pertinent Meleagri epigrammata duo in Anal. Brunkii V. Cl. laudata quoque Valken. V. D. ad Eurip. Hippol. 347.

Ψυχαπαται δυσερωτες, ὁσοι φλογα ταν Φιλοπαιδα
Οιδατε, τω πικρω γευσαμενοι μελιτος.

&:

Καλος γαρ, ναι Κυπριν, ολος καλος, εδ'ανιηρος
Οιδε το πικρον Ερως συνκερασαι μελιτι.

Spectant huc quoque Chaeremonis vv. apud. Athen. XII. 2. p. 562. διδυμα γαρ τοξα αυτου ευτεινεσθαι, χαριτων το μεν επ' ευωνι τυχᾳ, το δ' επι συγχυσει βιοτας. Bacchylid. XI. in Anal. Br. T. I. p. 151.

— — — Κυπριδος
Ελπις αιθυσσει φρενας.
— — — —

Anal. Br. I. p. 489. Amorem dicit κυμηναντα θεὸς Pindar. fragm. in Theox. apud Athen. XIII. p. 601. D. τας δε Θεοξενυ ακτινας προσωπου μαρμαριζουσας δρακεις, ὁς μη ποθῳ κυμαινεται, εξ αδαμαντος κ. λ.

v. 99. Quantos illa tulit languenti corde timores
Quantum ſaepe magis fulgore expalluit auri.

Egregie exſequitur poeta Ariadnes amorem, dum ſigna, quae illum prodebant, recenſet. Habuit tamen & hic Apollon. Rhodium, quem ſequeretur Catullus. Nimirum III. 459. & 752. de Medea:

Πολλα γυρ Αισονιδαο ποθῳ μελεδηματ' εγειρε
Δειδυιαν ταυρων κρατερον μενος, οἱσιν εμελλε
Φθιοθαι ακικελιη μοιρη κατα νειον Αρηος.

Comparari omnino praeterea velim Ovid. Met. VII. init. de Medea, Valer. Flacc. VI. 677. VII. 128. ſſ. de Tarpeja Propert. IV. 4. 23. *cor languet* h. l. prae timore, (cum alias de amore poetis dicatur) quod corpori proprie conveniebat. Utrumque poſuit Homer. Odyſſ. E. 297.

Καὶ τοτ' Οδυσσηος λυτο γυνατα, καὶ φιλον ητορ

& ſic ſaepiſſime Homero de timente: λυντο δε γυια, τρομος λαβε γενεια cet. Sil. Ital. III. 505. Valer. Flac. VIII. 194.

Virginis ecce novus mentem perſtringere *languor*
Incipit, ingeminant commotis quaeſtibus aeſtus.

v. 100. Bochartus Hierozoic. part. poſter. l. 1. 2. §. 8. p. 10. ita hunc verſum laudat:

O quam ſaepe magis lurore expalluit auri

Salmaſius vero de Homonym. Hyl. Jatr. c. 27. ita:

Et fulgore magis quam ſaepe expalluit auri!

Uterque memoriae lapſu. Pallorem auro tribuit poeta uti infra LXXX. 4. Comicus quidam apud Schol. Ariſtoph. Plut. I. 2. 204.

Τι ποτ' εστι χλωρον, αντιβολω, το χρυσιον;
Διδοικ' επιβλεπομενον υπο πρωτων αει.

vid. ibi Kuſter. Stat. Silv. IV. 7. 15. & Sil. I. 233. laudavit jam Vulp. adde Ovid. XI. 145. Graecis aurum ωχρον & χλωρον audit. Unde Martiali *virens* dictum XII. 15. 3.

Miratur Scythicas *virentis auri*
Flammas Jupiter.

hinc

hinc *pallor viridis* Virgil. Cir. 225. juxta Homer. Il. XV. 4. χλωρὸι ὑπαὶ δειὰς. Ad ſententiam poetae Stat. Theb. XII. 676. de Theſeo:

Ipſe tuens ſociumque gregem, metuendaque quondam
Limina, & *adſumto* pallentem Gnoſida filo,

Sic omnino ibi cum Barthio legendum. Vulgatae tenent: *abſumto* male. Quo enim modo Theſeus Labyrinthum & Ariadnen intuens in opere anaglypho exhiberi poterat, ſi Labyrinthum ingreſſus fuiſſet. Id quod ex *abſumto* ſequeretur. Pallebat vero, metuebat Ariadne Theſeo, quum ille adſumto filo ipſum laborem auſpicaretur, cum cuperet contra contendere monſtrum, ut cum Catullo loquar.

v. 103. 4.

Non ingrata, tamen fruſtra munuſcula Divis
Promittens, tacito ſuſcepit vota labello

Praeclare & hoc ad animi affectum declarandum comparatum, quod Ariadne Diis pro ſalute Theſei vota nuncupet. *promittebat*, h. vovebat, (vid. ſi tanti putes Broukh. ad Tibull. III. 5. 33.) Ariadne Diis munuſcula non ingrata, jucunda adeo, ut Theſeus ipſis curae eſſet,

eſſet, adeoque ſervaretur, *tamen fruſtra*, quae tamen ipſa munera, quorum ratio a Diis quamvis eſſet habita, nihil juvabant Ariadnen, quippe a Theſeo, ipſius munere ſervato, mox derelinquendam. Hic eſt ſenſus h. l. quem non adſecuti ſunt interpretes. Pro *ſuſcepit* duo Mss. Statii & Voſſii *ſuccedit* Scalig. *ſuccendit*. Quis primus inde *ſuſpendit* effinxerit, ignoro, quae tamen lectio multos, quibus impenſe adrideret, invenit viros doctos, id quod ſane mireris, ſi illorum explicationes audias. Livinejus jungebat: *promittens ſuſpendit vota* hoc ſenſu: *ſuſpenſuram ſe* promittit *vota* h. e. donaria, *αναθηματα*. Quae quidem ratio paulo melius procedit, ſi *vota τῳ munuſcula* jungas, ut verborum ordo ſit: Promittens ſuſpendit divis munuſcula vota, quod pleniori ornatu dictum ſit pro *vovit* vel *promiſit mun.* Muretus Ariadnen *ſuſpenſe* atque adeo *tacitis labellis* vota facientem exponit. ſatis contorte. Vulpius: concipit quidem, ſed pudore impedita, revocat (*Suſpendit*) idemtidem, atque interrumpit. Schottus in Obſerv. Hum. II. c. 2. p. 45. citat quidem *ſuſpendit*, addit tamen extare quoque *ſuccendit*, quam ſcripturae aberrationem, ſi pro genuina lectione habuit, cogitavit forſan de ſacrificio, quod Ariadne voverat, Diis perſoluto. Statius, ſi *ſuſpendit* retineatur, *Ariadnen multa magno ſtudio moviſſe* intelligi vult. Quae,

qui

qui caecus ſum, nullus adſequor. Quae vero omnes opiniones quam longe petitae, obſcurae, & contortae ſint, nemo non videt. Recte igitur Stat. & Voſſ. cum aliis propoſuerunt legendum *ſuſcepit*. Nimirum cum antiquitus *ſuccepit* ſcriptum extaret, ut in Virgil. Aen. I. 175. VI. 249. *ſuccepit* Servii libri tenent, impoſuit hoc imperitis librariis, ſubſtituentibus ideo *ſuccedit*, unde factum *ſuccendit* & denique *ſuſpendit*. Ita quoque variant libri apud Ovid. Met. VII. 450.

pro te, fortiſſime vota
Publica *ſuſcipimus*.

Caeterum egregie Ariadnes pudori conſultum ivit poeta, qui illam *tacite* vota nuncupantem inducat. De votis veterum tacite conceptis multis agit Vulp. quae tamen maximam partem debet diligentiae Broukh. ad Tibull. I. 2. 84. & IV. 5. 17. unde factum eſt, ut, temere congeſtis locis rem ipſam magis obſcuraret, quam illuſtraret. Res ita habet: Concipiebant *tacite* vota veteres, aut faſcinationis & invidiae metu ob rei, quam a Diis expetebant, magnitudinem, aut pudore impediti tanquam in rebus amatoriis ut h. l. Pindar. Pyth. Θ. 172.

Πλεισα νικασαντα σε ηϙ τελεταις
Ωριαις εν Παλλαδος ειδον αφωνοι

Θ' ὡς εκασα, φιλτατον
Παρθενικαι ποσιν η
Τιον ευχονται — εμμεν.

hinc ſuaviter Fracaſtor. l. I. de Intellect.

clam pulcra tuo, ſed comta Myconi
Incedes, tacitisque deam venerabere votis
Ut mea tu, tuus ipſe ut ſim.

Chariton. III. VIII. 8. Διονυσιος μεν ουν παντων μεν ακουοντων ειπε την ευχην. Καλλιρροη δε μονη εθελησε προς την Αφροδιτην λαλησαι. & paulo poſt: εκλαυσεν υφ' ηδονης Διονυσιος ιδων, και ηυχη την Νεμεσιν προσεκυνησε. Catull. LIX. 36.

Ut lubet innuptis ficto te carpere queſtu
Quid tum ſi carpunt, tacita quod mente requirunt.

v. 105–9.

Nam velut in ſummo quatientem brachia Tauro
Quercum aut *conigeram ſudanti cortice* pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit, illa procul radicibus *exturbata*
Prona cadit, lateque *& cominus* obvia frangens.

Minotauri ſtragem cum arboribus vento primum convulſis, radicitus deinde exſtirpatis com-

comparatam facile animadvertas. Primas tamen comparationis lineas Homerum duxisse, notatum passim Viris doctis. e. g. ad Virgil. Aen. V. 448.

& ultro
Ipse gravis, graviterque ad terram pondere vasto
Concidit, ut quondam cava concidit aut Erymanthi
Aut Ida in magna *radicibus eruta* pinus.

Ubi *radicibus*, (pro quo nonnulli Codd. *radicitus*, quod vero pedestri magis convenire orationi censebat Heyn. V. Ill.) e nostro stabiliri possit, quamvis & hic libri quidam *radicitus* teneant, defendique possit Apollonii περυμνοθεν, cujus locum paulo inferius dabimus. Dictionis poeticae, quae regnat in his vv. gravitatem observent humanitatis studiosi. Tauri, montis nomen cum dilectu posuit poeta; nam is, cum in mare Pamphylium exeat, gravissimis infestatur procellis. Vid. Voss. ad h. l. Quercus quatiens brachia δρυς ταναη, quae habet ramos diffusos. Pari cum dilectu Lucret IV. 590.

quom Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans

pro vulgari: gerens coronam pineam, cujus rami

rami dependent. Cum Lucret. cf. Claudian. Epithal. Pallad. 96. *brachia* de ramis diffusis, res nota. Sic Virgil. Georg. III. 333. quercus ramos ingentes *tendere* dicitur. v. 106. varie a Viris doctis est tentatus, prouti quisque in suo codice lectionis diversitatem invenerat. *Conigeram* primum correxit Palladius, cum antea legeretur: *cornigeram*. Vossius lectionem libri Mediol. *congestam sudanti corpore pinum*, tanquam unice veram praedicat, & *congestam p.* de densa, compacta, seu robusta p. intelligit. Sed Glossae Philoxeni: *congesta*, πυκνη, *plena*, quas huc vocat, ad alia quaevis loca, e. g. ad Claudian. de Rapt. Pr. I. 4.

Junonis thalamos audaci prodere cantu
Mens congesta jubet.

magis quam ad h. l. spectare videntur. Praeterea, num arbor σεσρα, congesta dici possit, recte dubites. Si omnino ab hujus libri lectione standum est, h. v. ita legerim:

congestam sudanti (aut fluitanti) vertice pinum

ut pinus vertice congesta dicatur, quae in vertice ramos spissos, condensatos habet. Sic *matres congestae* constipatae Statio Theb III.

53. vid. omnino Burmann. ad Ovid. Amorr. I. 9, 12. Huic opinioni firmandae accedit Plinius, qui H. N. I. hanc arborem ſita deſcribit: Pinaſter nihil aliud eſt, quam pinus ſilveſtris, mira altitudine, & *a medio ramoſa, ſicut pinus in vertice*, copioſiorem dat haec reſinam. Quod vero idem Voſſius addit, ſpondeum h. l. magis convenire, quam dactylum, ut firmitas arboris exprimatur, hoc demum eſt argutari. Sed *το congeſtam* a librariis profectum mihi certo perſuaſum habeo, qui cum ex compendioſa *τϐ congeram* ſcriptura nihil expedirent, *in congeſtam* immutarunt. Eandem fere depravationem obſervare licet in Calpurn. Ecl. IX. 86. ubi pro *coniferas* alii *confertas*. — *ſudanti corpore* duo Mſs. Statii, *cortice* unus ejusdem; Heinſ. legi jubebat: *nutanti vertice* cum pinus proprie nutare dicatur, & Catull. infra v. 290. *platanum nutantem* (pro quo tamen alibi legit *fluitantem*) habeat. Vidit deinde hanc conjecturam confirmatam excerptt. Vatic. F. Urſini. Paulo exquiſitior eſt altera ejusdem viri emendatio Claudian. p. 932. propoſita: *fluitanti vertice*. Sane, ſi imaginem, quae inde enaſcitur, ſpectes, non habes quid in utraque dictione reprehendas. *Vertex fluitat*, vento commotus. Auſon. Moſell. 194.

Tota

Tota *natant* crispis juga motibus, & tremit absens
Pampinus.

Petron. c. 131. p. 623. Et circum tonsae trepidanti vertice pinus. Arnobius quoque l. V. pinum vocat *nutans* lignum. Septim. Seren. apud Terentian. Maur. p. 2427. Putsch. *Pinea brachia cum trepidant.* & sic saepius. Minus tamen mihi sit probabile, vulgatam a librariis profectam esse, & Catullus doctrinam aliquam de natura arboris, loco quamvis alieno, affectasse videtur. *Sudanti cortice* adferere possis Ovid. Fast. I. 349. sed *corpore*, quod plurium Codd. autoritate nititur, & exquisitius est, praefero. vid. de his confusis vocibus ad Ovid. Met. X. 500. Pinus conigera, quae κωνοφόρος profert, res nota. Male Corrad. quae in conum desinit. De resina, quam pinus *sudat*, guttatim emittit, Plin. H. N. 16. 10. Sudare hac de re, satis obvium, vid. Cerda ad Virgil. Ecl. IV. 30. adde Justin. 36, 3. 4. Lenzius varia hic tentat. Primo *sudantem pinum* magnopere laborantem, aestuantem, quae turbini obnititur, accipit, deinde e Vossiano, *congestam*, extricat *concussam*. Neutrum tamen sibi satisfacere uit, legendumque potius videri: *crinigero nutantem vertice* pinum, quae vel nu-

tantem habet verticem, vel extat in crinigero h. frondoſo, ſilvis obſito montis vertice. *indomitus turbo*, αχαμαντος inſanus *contorquens* collabefactans *flamine* vi ſua *robur*, truncum eruit: *illa prona cadit procul* (ita junge) h. longe extenditur per terram, radicibus exturbata, cum ipſis radicibus evulſa. Pro *exturbata* ſuggerunt quidam Pallad. Gryph. & al. *exſtirpata*, ex interpretamento. v. 109.

late que & cominus obvia frangens.

turbant & hic libri ſcripti. Vetera exemplaria apud Voſſ.

Prona cadit, lateque & cum ejus obvia frangens

unde effingit: Prona c. late, *quaecumvis* obvia frangens, vulgatamque lectionem putidam & Catullo indignam judicat. Achilles quoque Statius vulgatam minime Catullianam habens, cum in Mss. duobus Voſſianam pariter inveniſſet, & in uno inſuper:

Prona cadit, lateque ejus ejus obvia frangens

legendum ſuſpicatur: late *quaecunque ſibi* obvia frangens. quamquam ipſe non diſſimulet το *ſibi* longius a ſcriptura Cod. recedere.

Sca-

Scaliger *omnia* in ſuis libris invenerat, unde *obvia* legendum docte extricat, cum *ovvius* antiquitus ſcriptum fuerit teſte Victor. Vulpius cum Scalig. in vulgato acquieſcit, quod deſcriptioni optime conveniat. Recte. *late obvia* ſunt τα προῤῥωθεν vi oppoſ. *cominus* Vulgatae quoque mire ſuffragatur verſus e Varron. Parmenid. apud Non. v. *trabs*, ita forſan emendandus: Alia trabs pronis in humum accedens *proxuma* frangit ramis cadens, cum nunc vulgetur *proxume* & ramos. Jam contende cum Catullianis Apollonii IV. 1682. ἀλλ' ὡσις τ'εν ορεσσι πελωρη ὑψοθι πευκη — ἡ δ'ὑπο νυκτι ῥιπησι μεν πρωτα τινασσεται flamine contorquetur ὑστερον αυτε Πρυμνοθεν εξεαγεισα κατηριπεν radicitus ſ. radicibus exturbata prona cadit.

v. 110. Sic domito ſaevum proſtravit corpore Theſeus

Necquidquam vanis jactantem cornua ventis.

proſternit liber Scalig. quod idem habet pro veteri forma perfecti. Lennepius ad Colnth. I. 7. h. l. ſic corrigebat:

Sic domit*um taurum* proſtravit *robore* Theſeus

nam alias, inquit, desideratur substantivum. Propius ad Codd. scripturam Lenz. V. Cl.

Sic domito saevum prostravit corpore *taurum*
Necquidquam *ventis* jactantem cornua *Theseus*.

sed vulgata lectio minime sollicitanda videtur, cujus exquisitior ornatus his ipsis conaminibus, licet ingeniosis, magnopere infringitur. Neque enim *saevum* absolute positum insolens cuiquam videri debet, quod vel simpliciter pro vulgari: *illud monstrum*, (quod paulo supra v. 101. dederat Catullus) dictum videtur, vel *Minotaurus* sub v. *saevum* e contextu supplendus. Sic *ferum* apud cultissimos scriptores positum invenias. Rem jam adtigit Vulp. Accedit, quod Catullus additis: *jactantem cornua* digitis paene monstravit de Minotauro cogitari debere. Praeclare vero Catullus *Minotaurum reluctantem* describit per jactantem cornua ventis h. e. in ventos, quatenus ictus cornuum irriti sunt. Valer. Flacc. IV. 273.

Ut vero ingentes effundi nubibus iras
Ardoremque videt.

iras h. e. ictus hostiles effunduntur nubibus, vani

vani cadunt. Ita bene illum locum explicavit Burmann. Stat. Theb. VI. 788.

geminatque rotatas
Multiplicatque manus, rapiunt conamina venti.

adde notum Virgil. Aen. V. 446. Simplicior dicendi ratio ferebat Minotaurum cornua vane h. incaſſum jactare, quod ipſum accidere neceſſe erat, ubi ictus in ventos ſpargebantur; hinc ventis *vanis*. Suffecerat: *nequidquam*, ſed amat Catullus hujusmodi cumulationes, ut *fruſtra & nequidquam* alio loco. Sic apud Valer. Flacc. III. 696. *iras inanes fundere* pro incaſſum i. f. Quibus tamen haec paulo longius petita videantur, ii το *vanis* cum Vulpio adcipiant tanquam epitheton perpetuum aeris, ut *vacuus* aer & ſim. Bene vero cum noſtro Scaliger componit verſum Graeci poetae, qui in epiſt. Cicer. ad Attic. legitur:

Πολλα ματην κερασσιν ες ηερα θυμαινοντα.

v. 112. Inde pedem *victor* multa cum laude reflexit

Sic Ald. Gryphh. Henric-pet. Plant. Baſ. 2. cum quibusdam, reliquae editt. tenent *ſoſpes*, quod e gloſſemate ortum. *Victor* enim de

eo dicitur, qui *voti campos* eſt factus. Res nota.

v. 116. Sed quid ego, a primo digreſſus carmine, plura
Commemorem?

Venett. *ſed quid ego, primo*, omiſſa praepoſitione, quam tamen plurimae, ut Ald. Colin. Gryphh. Henric-pet. Baſ. 2. ſervant. Reliquae exhibent, *in primo*. Ceterum ejusmodi cohibitiones in poetis, ubi argumentum, ipſis propoſitum, migraſſe videntur, in primis in Pindaro, ſatis obviae. vid. Praefat.

v. 139. 40. At non haec quondam nobis promiſſa dediſti
Voce, mihi non hoc miſerae ſperare jubebas.

Si ita hos vv. cum Vulpio aliisque legas, friget utique v. *voce*, cui forſan ſubſtituendum: *Vane*, quod ad Theſeum referatur. Sed, inſpectis vetuſtioribus libris, vix dubitare licet, quin a poeta ſcriptum fuerit:

At non haec quondam *blanda* promiſſa dediſti
Voce mihi, non hoc miſeram ſperare jubebas.

retracto

retracto *blanda* & distinctione post *mihi* facta.

v.143. Jam jam nulla viro juranti femina credat —

Hos vv. manifesta imitatione expressit Ovid. Fast. III. v. 470.

Flebat amans conjux, spatiataque litore curvo
Edidit incultis talia verba sonis:
En iterum similes fluctus audite querelas,
En iterum lacrimas accipe, arena, meas.
Dicebam, memini, perjure & perfide Theseu,
Ille abiit, eadem crimina Bacchus habet.
Nunc quoque nulla viro, clamabo, femina credat.
Nomine mutato causa relata mea est.

v.145. *Queis* dum aliquid cupiens animus praegestit apisci

pro *queis* libri magno numero offerunt *qui*, uti quoque h. l. adducit Broukh. ad Tibull. I. X. 58. & Neapolit. ad Ovid. l. c. sed altera structura est exquisitior. Infra v. 308.

His corpus tremulum complectens undique quercus.

aliquid cupiens verecunde satis. Propert. II. 18. 11.

Quae ſi forte *aliquid* vultu mihi dura negarat
Frigida de tota fronte cadebat aqua.

vide ibi Burmanni doctam notam. Ceterum hos vv. reſpexit forſan Prudent. contra Symm. 136. de Baccho:

Invenit expoſitum ſecreti in litoris acta
Corporis egregii ſcortum, quod perfidus ille
Liquerat, inceſto mentem ſatiatus amore.

v. 150. — & potius germanum amittere crevi *Germanum*, Minotaurum. Hinc Hygin. CCLV. Ariadne Minois filia fratrem & filios occidit, ubi ſine omni controverſia reponendum: Ariadne — frattem, *Medea* filios occidit.

v. 154. Quaenam te genuit ſola ſub rupe leaena
Quod mare conceptum ſpumantibus exſpuit undis
Quae Syrtis, quae Scylla rapax quae vaſta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia vita?

Solemne hoc poetis, inde ab Homero Il. π. 33, ut, quos laevis atque improbis moribus praeditos indigitent, a feris animalibus, mari, atque monſtris adeo, prognatos, certe iis ſimiles dicant. Anaxilas ἐν Νεοττιδι apud Athen. XIII. p. 558. de crudeli atque exſecrando ἑταιρας animo:

Ou

Ου γενος τις αν δυναιτο παρανομωτατον
Φρασαι
Τι γαρ η δρακαιν' αμικτος η Χιμαιρα
πυρπνοος
Η Χαρυβδις, η τρικρανος Σκυλλα, ποντια
κυων,
Σφιγξ, ὑδρα, λεαιν', εχιδνα, πτηνα θ' ἁρ-
πυιων γενη
Εις ὑπερβολην αφικται του καταπτυστου
γενους.

v. 155. conceptum exſpuit cum dilectu pro *concepit te & exſpuit*, h. cum ſpuma maris ejecit, in lucem protulit. Pariter fere Tibull. III. 4, 85.

Nec te conceptnm ſaeva leaena tulit.

ubi *tulit* eſt *protulit*, *edidit*. alii ibi aliter. v. 157. *praemia ποινην pro dulci vita* tibi a me ſervata. Ad ſententiam poetae Eurip. Medea 509.

Ται γαρ με πολλαις μακαριαν Ελληνιδων
Εθηκας αντι τωνδε· θαυμαστον δε σε
Εχω ποσιν, καμ πιστον, ἡ ταλαιν' εγω.

De vv. 160 — 163. vid. ad Homer. H. in Cer. v. 142. adde Virgil. Cir. 443.

Mene inter comites, ancillarumque catervas
Mene, alias inter, fumularum munere fungi

Con-

Conjugis atque tuae, quaecunque erit illa, beatae,
Non licuit gravidos penſo devolvere fuſos?

Parentem priſcum, ſeverum, bene Doeringius V. Cl. interpretatus eſt. Adpoſite Seneca *Hippol.* 912.

Ubi vultus ille, & ficta majeſtas viri
Atque habitus horrens, priſca & antiqua adpetens,
Morumque ſenium triſte, & adſpectu grave?

v. 239. — ceu pulſae ventorum flamine nubes
Aerium *nivei montis* liquere cacumen.

mons dicitur paulo inſolentiori modo *niveus*, nive contectus, adeoque altus. Callimach. H. Dian. v. 41.

βαινε δε κουρη,
Λευκου επι Κρηταιου ορους·

Apte ibi laudat Spanhem. Theophraſt. H. Pl. IV. 1. εν Κρητη γουν, φασιν εν τοις Ιδαιοις ορεσι, και εν τοις λευκοις καλουμενοις επι των ακρων, ουπερ ουδεποτε επιλειπει χιων, &c.

v. 242. Anxia in adſiduos abſumens lumina fletus.

Nonnullae editt. vett. pro: *abſumens* offerunt

runt *contollens*, quae lectio ſuſpicionem movet, olim lectum fuiſſe:

Anxia in adſiduos *cantollens* lumina *fluctus.*

Praeſtat tamen altera ſcriptura. Theocrit. ep. VI.

Α δειλαιε τυ Θυρσι, τι το πλεον, ει καταταξεις
Δακρυσι διγληνους ωπας οδυρομενος.

v. 243. Quum primum *inflati* conſpexit lintea *veli.*

Pro *inflati* vetuſtiores interpretes & Vulpius legi volebant *infecti* h. nigri *veli*, addicentibus quibusdam Codd. Sine cauſa. Nam *vela nigra* h. l. accipi debere ipſe rei eventus ſatis declarat.

v. 247. — — Theſeus, qualem *Minoidi* luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipſe recepit.

Dorvillius, qui in ſuis & in aliis quibusdam Codd. *Minoida* invenerat, legendum cenſebat:

quali Minoida luctu
Obtulerat mente immemori.

idque hac praecipue ductus ratione, quod priſci poetae raro vel nunquam ejusmodi dativos

dativos in fine corripuerint, & luctu (h. e. luctui) offerre aliquem Graece prorsus dictum sit, uti πονοις ενεικειν τινα Homer. Il. K. 88. Recte. Sic Homer. Il. T. 167.

— — η μεν μ' αχεεσσι γε δωσεις
Πλειοσιν.

& Il. E. 396.

Ευτε μιν αυτος ανηρ, υιος Διος αιγιοχοιο
Εν Πυλῳ εν νεκυεσσι βαλων οδυνησιν
εδωκε.

Minoida offert quoque Codex Guelpherbyt.

v. 251. At parte ex alia florens volitabat Jacchus.]

At pater ex alia tenent Venetae, applaudente Voſſio. Sed vulgata recte habet, quam & Manilii imitatione I. 326.

At parte ex alia claro *volat* orbe corona.

adſtruere licet. Florens Jacchus, quatenus hedera & pampinis cinctus. Docte. Sic θαλλειν Pindar. Nem. IV. 146.

Ιν' εν αγωνι βαρυκτυπου
Θαλησε Κορινθιοις σελινοις.

adde Valer. Flacc. VI. 136. & quae notavi in Epiſt. crit. p. 66. Alii de ſempiterna Bacchi juventute explicant; quo Heynium quoque ad Virgil. Cir. 110. inclinaſſe video.

Bacchus

Bacchus vero hedera & racemis in monumm. ant. ubique obvius. e. g. Muſ. Capit. t. 30. Marm. Dresd. t. 22. Muſ. Florent. t. 49. *volitabat* hinc inde diſcurrebat ad excitandos choros. Hinc καλεσσιχορος, εγερσιμοθος dictus. Euripid. Bacch. 145. ſſ.

— — — αϊσσει
Δρομω τους χορους ερεθιζων πλαναταις
Ιαχαις δ' αναπαλλων
Τυφερον πλοκαμον εις αιθερα ριπτων
Αμα δ' επ' ευασμασιν επιβρεμει

Sic infra v. 391.

Saepe *vagus* Liber Parnaſſi vertice ſummo
Thyadas effuſis evantes crinibus egit.

Volitare vero ſolemne verbum de diſcurſibus furentium. Noſter in Atti de Cybeles ſacerdotibus:

Ubi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant
Ubi ſuevit illa Divae *volitare vaga* cohors.

Pariter fere Virgil. in Ciri v. 308.

Nunquam ego te in ſummo *volitantem* vertice montis
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
Conſpiciam.

v. 256.

Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos.

Thyrſi

Thyrſi tecta cuſpide, pampinis velati. Ovid. Metam. III. v. 666. de Baccho:

Ipſe racemiferis frontem circumdatus a*vis*
Pampineis agitat *velatam* frondibus haſtam.

Propius Seneca Herc. fur. v. 409.

Adſit Lycurgi domitor & rubri maris
Tectam virenti cuſpidem thyrſo gerens.

v. 258.

Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.

Claudian. in Ruf. I. 118. de Megaera:

Illa ubi caeruleo veſtes connexit angue.

de Bacchis Euripid. in Bacch. v. 665.

Νεβριδας δ' ανεστειλανθ' ὁσαισιν ἀμμα-
των
Συνδεσμ ελελυντο, καμ καταστικτους δο-
ρας
Οφεσι κατεζωσαντο λιχμωσαν γενυν

ubi forte leg. λιχμωσιν γενυν quod referatur ad οφεσιν. Arnob. V. p. 166. Bacchanalia etiam praetermittamus immania — in furore mentito & ſequeſtrata pectoris ſanitate *circumplicatis vos anguibus* &c. Nonnus L. XIV. p. 406.

— — οφιν τριελικτον απημονι δησατο κολ-
πῳ
Ενδομυχον ζωστηρα.

de

de v. 259. vid. Dorvill. ad Charit. p. 263. & Valken. ad Ammon. p. 185.

v. 261.

Plangebant alii proceris tympana palmis.

Totus, qui ſequitur, locus deſumtus videtur ex Aeſchyli Ηδωνοις cujus tragoediae fragmentum a Strabone L. X. ſeruatum eſt:

Ὁ μεν εν χερσι βομβηκας εχων τορνου
καμακτον δακτυλοδεικτον
Πιμπλησι μελος, μανιας επαγωγον ὁμοκλαν.
Ὁ δε χαλκοδετοις κοτυλαις οττοβει.

palmae procerae ſunt extenſae. Appoſite Simonides CXII. v. 5. (in Brunkii Anal. I. p. 147.)

Αυταρ ὁ πεπταμενῃ μεγα τυμπανον
εσχεθε χειρι·
Ηραξεν, καναχῃ δ' ιαχεν αντρον ἁπαν.

Contrariam imaginem exhibet auctor Priapei in Anthol. Lat. I. p. 502.

Cymbala cum crotalis, pruriginis arma, Priapo
Ponit, & *adducta* tympana pulſa *manu.*

ubi tamen tres codd. *abducta*, non male; contra tamen nitente Burmanno, qui *adducta manu* firmari putabat ſtatua marmorea apud Ruben. de re Veſt. c. 17.

v. 263. Multis rauciſonos efflabant cornua bombos.

Male hic verſus habitus eſt ab interpretibus. In Mss. omnibus, teſte Statio, exſtat: *Multi rauciſ.* unde ipſi dubium non erat, *quin multis*, dandi caſu, legendum ſit. Quod tamen damnat Corradinus, retracto *multi*. Sed expende ipſius quam ſubjungit interpretationem. „efflare bombos h. e. ſonos; cornua „autem in eodem caſu, nam ſi efflant cor„nua, & bombos, ſi bombos & cornua.„ Quae nemo, puto, invidebit bono Corradino. Scaliger ſe non videre ait, quomodo cornua efflare dici poſſint, legitque:

Multi rauciſonis inflabant cornua bombis:

laudato Perſii:

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

In altera tamen editione retractavit ſententiam ſuam, ſequiturque nonnullorum librorum ut Aldd. & Gryphh. lectionem:

Multaque rauciſonis efflabant cornua bombis.

Voſſius amplectitur Mediol. libri lectionem: *efflebant* h. flebiliter edebant bombos rauciſonos *per* cornua. Flebilem vero cornuum eſſe ſonum, vel inde colligit, quod canes

canes ſoleant concurrere, & longas in fletum ducere voces. Nugae Voſſio indignae. Nec ellipſis *του per* ante *cornua* ferenda videtur. Voſſii lectionem Vulpius tam diu retinendam cenſet, quam melior & certior alicunde non emerſerit. Alii rem ita expediunt, ut Catullum invertiſſe dicant orationem, quae ita inſtituenda ſit: multi *cornibus* efflabant bombos. Nulli harum opinionum adſtipulor, & admiſſo Statii *multis*, verba ita inter ſe concilianda puto: cornua multis h. multorum efflabant bombos. *multis* Graece, uti paulo inferius:

His corpus tremulum complectens undique quercus.

& ſupra v. 245.

Queis dum aliquid cupiens animus praegestit apiſci.

efflare uti *αναφυσαν* & *πνευμα αυλων* Euripid. Bacch. v. 125.

v. 270. *Hic, qualis* flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus *proclivas* incitat undas
Aurora exoriente vagi ſub *lumina* ſolis
Quae tarde primum clementi flamine pulſae
Procedunt, *leni reſonant plangore* cachinni

275. Poſt, vento creſcente magis increbreſcunt

Purpureaque procul nantes a luce refulgent.

Diſceſſus Theſſalorum, qui in domum *Pelei* veſtis ſtragulae videndi gratia confluxerant, egregie comparatur undis, leniter primum a vento ſuccuſſis, vehementiori dein flatu agitatis. Primas hujus comparationis lineas ab Homero jam ductas facile agnoſcas. Il. β. 394. Achivi e concione in naves quique ſuas abeunt

ὡς ὅτε κυμα
Ακτη εφ' ὑψηλη, ὁτε κινησει νοτος ελθων
Προβλη τι σκοπελῳ.

ibid. v. 149.

Κινηθη δ' αγορη, ὡς κυματα μακρα θαλασσης
Πουτῳ Ικαριοιο, τα μεν τ' Ευρος τε Νοτος τε
Ωρορ' επαϊξας πατρος Διος εκ νεφελαων.

Magis adpoſite Il. Δ. 422.

Ὡς δ' ὁτ' εν αιγιαλῳ πολυηχεϊ κυμα θαλασσης
Ορνυτ' επασσυτερον, ζεφυρῳ ὑποκινησαντος
Ποντῳ μεν τα πρωτα κορυσσεται, αυταρ επειτα

Χερσῳ

Χερσῳ ἐηγνυμενον μεγαλα βρεμει, αμφι δε τ' ακρας
Κυρτον εον κορυφαται, αποπτυει δ' ἁλος αχνην.

jam notante Ach. Statio adde Virgil. Aen. X. 97. — *Hic qualis.* Sic vett. editt. Sed Voſſio inſpecti Codd. *Nec qualis*, vel *Aequalis*, unde ipſe fecit: *Ac quali flatu* quod tacite in textum admiſit Vulpius. Sed minime ſollicitanda eſt vetus ſcriptura, ad quam etiam adludunt Voſſiani. *Nec qualis*, notatque *hic* idem ac *tum*, *hac rerum conditione*, Propertius 2, 8. 25.

Ut caput in magnis ubi non eſt tangere ſignis
Ponitur *hic* imos ante corona pedes.
Sic nos nunc inopes *laudis conſcendere* culmen
Pauperibus ſacris vilia tura damus.

Ita omnino legendum contra Scal. Heinſ. Broukh. & Franc. qui volebant *his*. In verſu ſequenti apud Propert. reſcripſi *laudis conſcendere culmen*, quod unice verum habeo propter IV. 10. 5.

Magnum iter adſcendo, ſed dat mihi gloria vires
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

quamvis Oudendorpii conjectura: *tauris con-*

ſcindere collum mire adblandiatur, & ſingulare proꝛſus ingenii acumen prodat. *To hic* reddendum quoque Propertio II. 2, 43.

Hic ego *nunc* mirer, ſi flagret noſtra juventus
Pulchrius *hac* fuerat, Troja perire tibi.

ubi mire fluctuantur libri. Sed vel ſequens *hac* damnat vulgatum *hac* in v. primo. Et ſenſus Propertii eſt, *Hic* h. e. quum tu talis ſis, nempe gloria & decus Romanarum puellarum (vid. antecedd.) num mirer amplius ſi cet. Apud eundem II. 4. 15.

Nec tu non aliquid, ſed prima nocte dolebis.

legendum olim conjeceram: *Hic*, (cum puellae tam mutabiles ſint ex antecc.) *tu non aliquid* cet. Nunc vero certiſſimus ſum legi debere:

Nae tu non aliquid *vel* prima nocte dolebis.

vel eſt ex emendatione Heinſ. veriſſima. — Eadem elegantia Ciceroni ſaepe eſt uſurpatum hocce vocabulum. Ad Div. IV. 7. in fin. *Hic* te unius ſollicitudines, unius etiam multae & aſſiduae lacrimae Caji Marcelli deprecantur, & V. 15. *Hic* tu ea me abeſſe urbe miraris, in qua domus nihil delectare poſſit

poſſit cet. VII. 13. *Hic* tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionem meam accipis. — Neque, ut ad Catullum meum redeam, tentari debebat *qualis* quod pro *qualiter* poetis poni vel pueris notum. Ceterum in voce *Aequalis*, & *ac qualis* pariter turbas fecerunt librarii apud Propert. III. 4. 23. *Zephyrus horrificans mare placidum* agitans, commovens mare. *Mare* ventis impulſum *horrere* poetis dicitur. Fragm. poet. vet. apud Cic. de Orat. III. c. 39.

inhorreſcit mare
Tenebrae conduplicantur, & nimbûm oc-
caecat nigror.

unde profecit Virgil Aen. III. 195. Lucan. V 446 de mari:

Non *horrore* tremit, non ſolis imagine vi-
brat.

ubi vide Burmann, *horrorem aequoris* dixit Stat. Silv. V. 4. 3. pariter Φρισσειν Graecis. Plato epigr. XIII.

Ὑψικομαν παραταυδε καθιζεο Φωνηεσσαν.
Φρισσουσαν πυκινοις κωμου ὑπο ζε-
Φυροις

Antipater ep. 37. (in Anal. Brunk. T. II. p. 16.)

Ἀχμαιος ἑοδιη νηϊ δρομος, ωδε θαλασσα
Πορφυρεη τρομερῃ Φρικι χαρασσο-
μενη.

cf. Silentiar. ep. 57. Anal. Br. II. p. 53. Homer. Odyſſ. Δ. 402.

Πνοιῃ υπο ζεφυροιο μελαινῃ ῥιγι καλυφθεις.

flatus matutinus, qui ſub matutinum tempus exoritur, ορθριος. Sic Mercur. ορθριος Homer. in ejusd. Hymno v. 143. & *Aeneas matutinus* Virgil. Aen. VIII. 465. Sic φωναι υποορθριαι Anacreonti, *matutini cantus* Virgil. Aen. VIII. 456. ῥθεγματα ηρινα cantus ſub vernum tempus Ariſtoph. Av. 682. *ſub lumina ſolis*. Ita pleraeque editt. vett. ſed Cod. Burmanni, Bodlej. & liber Commelin. habent *ſub limina*, quod & innuit Cod. Palat. papyrac. qui exhibet *ſublimia* una voce, teſte Burmanno in Anthol. Vett. latt. poett. T. II. p. 441. quae quidem lectio & idſi valde adridebat, provocabatque ad Virgil. Aen. VI. 256.

primi ſub lumina ſolis & ortus.

ubi *ſub limina* ex Medic. ab Heinſio feliciter reſtitutum eſſe opinabatur idem vir doctiſſimus. Vulgatam tamen ibi recte defendit Burmannus, monuitque *limen ſolis* tum demum locum habere, cum locus deſignetur, ubi ſol oriatur (mallem ſic conſtitutum, ubi ſol *egredi*, procedere & ſimil. dicatur, ut apud Sil. Ital. XVI. 230.) *lumen* vero de ortus

tus tempore (potius ſic: ubi ſimpliciter *ortus* vel *lux ſolis* deſcribitur, nulla addita re, quae *ſolem prodeuntem* deſignet.) In Catulli quidem loco, utram praeferas lectionem, vix habeas dicere. Si legas *ſub limina* ſententia erit ſit conſtituenda: ubi Aurora exoritur ſub limina ſolis, h. e. ea parte, qua Sol exoritur, prodit. Sin *lumina ſolis* malis, disjungenda ſunt illa *Aurora exoriente*, a *vagi ſub lumina ſolis* tanquam diverſa, utque dictum adeo ſit pro vulgari: Aurora, vel Sole exoriente vel potius: Aurora exoriente, ante, ſub Solis ortum. lumen vero & limen ſemper fere inter ſe permutantur, quod jam vidit Burmann. ad Anthol. l. l. & Drakenb. ad Sil. It. XVI. 230. — Zephyrus incitat *ωρορε*, incitare ſolet *undas proclivas* exquiſite pro: incitat undas, ita ut *proclivae* fiant. Sic *Aeſtus pronus* Claudian. de Nuptt. Honor. v. 2. Ovid. Metam. XI. 208.

& omnes
Inclinavit aquas ad avarae litora Trojae.

Apud Statium tamen Silv. V. 4. 12. *maria adclinata* ſunt *quieta*; metaphora a *ſopitis* petita. Quae tarde primum procedunt, *pulſae* impulſae *flamine clementi*, molli, placido, *μαλακῳ*. Adpoſite Oppian. Alicut. III. 55.

Αιει δ' εις ανεμον παπταινεμεν, ὁς κεν ἀησιν
Ηπιος ευδιοων, μαλακην δ' ἁλα κυμα κυλινδων

Homer. Il. ξ. 16.

Ὡς δ' ὁτε πορφυρη πελαγος μεγα κυματι κωφῳ

Auſter clementior Stat. Theb. V. 468. & ſic ſaepiſſime de ventorum flatu placidiori. Eadem vox reſtituenda eſt Hygino LXVIII. Eteocles & Polynices inter ſe pugnantes alius alium interfecerunt. His cum Thebis parentaretur, etſi *ventus vehemens* eſſet, tamen fumus ſe nunquam in unam partem convertit, ſed alius alio ſeducitur. Tum ſane, ubi ventus vehemens eſt, mirandum non eſt, quod fumus ſe nunquam in unam partem convertat. Lege: *etſi ventus clemens eſſet*, vel *minus vehemens eſſet*. — *leni reſonant plangore cachinni*. pro *leni* vitioſe quidam *levi*, unde, ut verſus ſtaret, exſculpſerunt: *leviterque ſonant*. Ita quidem Seneca Agamemn. 670.

licet Halcyones
Ceyca ſuum fluctu *leviter*
Plangente ſonent.

ſed praeferenda eſt plurimorum librorum lectio, *leni* reſonant, magis poetica. *Cachinni*

ni ſunt undae lenem ſtrepitum edentes. Aeſchyli Prometh. 90.

πωντιων δε κυματων
Ανηριθμον γέλασμα.

dederunt jam *intpp.* Cui addas ejusdem Επτα επι Θηβ. 116.

Κυμα γαρ περι πτολιν
Δαχμολοφων ανδρων
Καχλαζει πνοαις
Αρεος ορομενον.

κυματα παφλαζοντα Homer. Il. IV. 798. Apte laudant illa Attii:

Ac ubi curvo litore latrans
Unda ſub undis labunda ſonit
Simul & circum magniſonantibus
Excita ſaxis laeva *Celaeno*
Crepitu *clangente cachinnat.*

Celaeno poſui e conjectura Bentleji in epiſt. ad Mill. p. 27. Quo loco inductus Douſa pro *plangore* reponere geſtiebat *clangore.* Cui quoque calculum ſuum adponebat Valkenarius Vir ſummus ad Eurip. Hippol. 210. apte laudato loco Theocrit. Eid. 6. 11. ubi κυματα dicuntur ασυχα καχλαζοντα. Vide omnino ejus notam ad Euripid. l. l. lectu digniſſimam, & Hemſterh. ad Theocriti l. l. Etſi, Attii locum huic conjecturae mire ſuffragari,

fragari, lubens largiar, acutiſſimique Valkenani judicium maximi faciam, vulgatam tamen contra omnes libros fede ſua movere ommno religio incedit, cum & Douſa *ipſe* non diſſimulet, *plangore* recte locum habere poſſe, adducto hanc in rem Lucani VI. 691. & planctus illiſae cautibus undae adde Lucret. II. 1154. Virgil. Georg. I. 333. vid. omnino Heinſ. ad Ovid. Met. V. 675. — Poſt, vento creſcente magis increbreſcunt. Pariter Virgil. Georg. I. 359. Verba vero *magis magis* ſic cumulata inſerviunt augendae rei notioni. Bene laudant Virgil. Georg. IV. 311. cui apte ad novit Heyn. V. Ill. noſtri locum ad ſtabiliendam lectionem: *tenuemque magis magis.* Saepe vero hujusmodi voces iteratae anſam corruptelae dedere librariis. Sic in Stat. Achill. I. 376.

Mox propius propiusque volant, jamque aere in ipſo
Paulatim fecere ſuam,

ante Barth, legebatur:

Mox propiusque volant, ſociam jamque aere in ipſo
Paulatim fecere ſuam.

ubi το *ſociam* e margine, cui, interpretandae vocis *ſuam* cauſa, adlitum erat, textui intruſum

ſum alterum *propius* loco ſuo dejecit; Cum *facere aliquem ſuum* jam per ſe ſit, adſociare ſibi aliquem. Commode laudat Barth. Terent. Adelphi V. 6. Paulatim plebem primulum *facio meam* adde Ovid. A. A. II. 259. Faſt. II. 690. — Quibus vero τα *magis magis*, omiſſo *que* dure poſita videantur, iis auctor ſum interpungendi:

Poſt, vento creſcente magis, magis increbreſcunt.

quo magis ventus creſcit, eo crebriores fluctus exſurgunt.

Purpureaque procul *nantes a* luce refulgent. *nare* dicuntur *undae*, quae huc illuc a ventis incerto motu feruntur. Manilii locum I. 155.

Tertia ſors undas ſtravit, *fluctusque natantes.*

uti eum Scalig. & Carrio Antiq. Lect. III. c. 19. correxerunt, dederunt jam alii ante Vulp. Hinc *nare* ad alias res inſtabiles translatum, fere ut *volitare*, & πεταϑαι. e. g. aput Ariſtophan. Av. 176. πετομενοι qui mente incerta feruntur. — De *mari* pariter Theocrit. 21. 18.

παντᾳ δε παρ' αυτην
Θλιβομεναν καλυβαν τρυφερον προσενα-
χε ϑαλαϲϲα

adde

adde ejusd. XXIII. 61. e correctione Valken. V. Cl. Si tamen curiosius paulo haec exempla excutias, nullum quidem (nam in Manilio dubitare adhuc recte possis, num *ita* vere sit persanatus) cum nostro exemplum omnino convenire facile sentias. Muretus vero auctor est, legi quoque:

Purpureaque procul *variantes* luce refulgent.

quae lectio non praetereunda erat altissimo silentio ab interpp. *Variantes undae luce* sunt *tremulae*, Propertius II. 5. 11.

Non ita Carpathiae *variant Aquilonibus undae*.

Neque tamen sum is, qui hanc scripturam alteri praeferri velim, sed, ut ad id, quo volebam, progrediar, sub hac scriptura, nisi me omnia fallunt, latet prisca & genuina lectio, quam pessime detruncarunt librarii. Certissimus enim sum, si plures inspiciantur Codices, in iis adparituram lectionem:

Purpureaque procul *vibrantes* luce refulgent.

Jam vides, erudite Lector, unde *variantes* ortum suum traxerit. Prima hujus vocis syllaba ab antecedenti proc*ul* absorpta, refictum est

eſt *nantes*, &, ut verſus rectis pedibus incederet *a* ante *luce* intruſum. Millies ſic genuina lectio depravata eſt oſcitantia librariorum. Exempla pete ab acutiſſimo Marklando ad Stat. Silv. I. 3. 50. p. 43. *undae vibrantes* tremulae, refulgent luce Valer. Flacc. II. 583.

hinc *unda*, ſacris hinc ignibus Ide
Vibrat & horriſonae reſpondent Gargara buxo.

Claudian. Rapt. Proſ. II. 2.

tremulis vibravit in *undis*
Ardor, & errantes ludunt per caerula flammae.

ubi commode Heinſ. laudat illa Lucani V. 446.

Aequora natura ceſſant, *pontus* que veteſtas
Oblitus ſervare vices non commeat aeſtu
Non *horrore tremit*, non *ſolis imagine vibrat*.

Valer. Fl. VIII. 305. Quum ſubitas videre rates, *vibrataque flammis aequora*. Auſonius Moſella 61. qui haud dubie e noſtro hauſit:

Quum *vada leue meant*, liquidarum & lapſus aquarum

Pro-

Prodit caerulea diſperſas luce figuras
Quod ſulcata *levi criſpatur* arena *meatu*
Inclinata tremunt viridi quod gramina fundo
Utque ſub ingenuis agitatae fontibus herbae
Vibrantes patiuntur *aquas*.

Recte quoque Burmannus in Valer. Flacc. I. 310.

Minyas ſimul obtulit omnes
Alma novo *criſpans* pelagus Tithonia Phoebo.

undas ſolis radiis tremulas intelligit. Ad ſenſum Ennius apud Macrob. 6. 4.

Lumine ſic tremulo terra & nova caerula candent.

Ceterum pro *purpurea* malebat Lennepius ad Coluthum L. I. c. 7. p. 33. *purpureae* ſc. *undae*, comparatque cum Graecorum πορφυρειν uſitatum hac de re. Quae ſane conjectura veneribus ſuis non caret, eſtque, meo quidem ſenſu, inter caeteras Lenepii in Catullum emendationes primo loco habenda. κυμα πορφυρεον ſaepius apud Homerum occurrit, notante jam Hemſterhuſio ad Lucian. T. I. p. 321. Antipat. ep. 37.

ωδε θαλασσα
Πορ-

Πορφυρεα τερμερη φρικι χαρασσομενη adde Anthol. epigr. l. IV.

Πορφυρεας ἁπαλον κυμα παρ' ηϊονος quod & Latini poetae adoptarunt. *Sal purpureum* Valer. Flacc. III. 422. *fluctus purpurei* Propert. II. 20. 5. ubi apte Marklandus quoque laudat Lucianeum locum. Primus omnium Furius apud Gellium l. XVIII. c. XI.

Spiritus Eurorum virides cum *purpurat* undas

h. e. interprete Gellio: cum ventus mare caeruleum *crispicans nitefacit*, vide ibi Gronov. — In Catullo tamen *purpurea* retinendum cenſeo, quia *vibrantes* ſeu, ut vulgatur, *nantes*, undarum motum tremulum jam ſatis declarat.

285. Confeſtim Peneos adeſt, viridantia Tempe
Tempe, quae cingunt ſilvae ſuper impendentes
Muemonidum linquens *doctis* celebranda choreis
Non vacuus. Namque ille tulit radicitus *altas*
Fagos, ac recto proceras ſtipite laurus
Non ſine *nutanti* platano, *lentaque* ſorore
Flammati Phaetontis, & aeria cupreſſu.

In vv. 287. 8. Turbant maxime libri ſcripti; Quidam, teſte Voſſio, offerunt:

Minoſin linquens *Doris* celebranda choreis
Nonatios, namque ille tulit rad. altas.

Unde ſe non falli putabat, ſi audacter affirmet, Catullum ſic ſcripſiſſe:

Xyniaſi, & linquens Doris celebranda chor.
Boebiados. Namque *&c.*

additque, illum Catullo injuriam facere, ſi quis de hujus lectionis ambigat veritate. Ego quidem ultro meum ſtuporem incuſo, qui haſce delicias Voſſianas, &, ſi diis placet, ab ipſo Catullo adeo adpoſitas non concoquam. Ne igitur in Catullum injurius videar, Voſſii emendationem, &, quam inde elicuit, explicandi rationem altiſſimo praetereo ſilentio. Muretus teſtatur, in quibusdam adparere: *Neſſonidum*. *Naiadum*, *Minoſium*, lubenterque ſe inde nihil extricare poſſe fatetur. Paulo confidentius in h. l. verſatur Scaliger, qui e corrupta Codd. ſcriptura hoſce vv. ita refingebat, diſtinguebatque:

Confeſtim Peneos adeſt, viridantia Tempe
Tempe, quae ſilvae cingunt ſuper impendentes
Minyaſin linquens *Doris* celebranda choreis,

Cranona

Cranona aeriſonamque, tulit radicitus altas
Fagos.

Primam in *Minyaſin* produxiſſe Catullum, ut alii Italiam, Phylacides cet. & ſub *doris choreis* alludere poetam, ad morem Doricarum puellarum, quae *φαινομηριδες* ſaltabant, porro *Cranona aeriſonam* dici, quoniam, teſte Plinio, Theſſalia, cujus urbis Cranon, metallifodinis abundaverit, ad ſtabilieudam ſuam correctionem ſubjungit Scaliger. Spirant haec omnia putidam &, ne quid gravius dicam, quam maxime intempeſtivam Scaligeri doctrinam, quam Catullo hic obtrudit. Achilles Statius invenit in uno *ut inundantia Tempe*, unde legit *undantia* Tempe. Ex *Minoſin* vero exſculpit *Muſarum* vel *Mnemoſinae*, quia illa Muſarum parens, pro *Doris*, pro quo unus Mss. offert *claris* (pro quo alii Cloris, Chloris Venet.) reponit *doctis*, & pro *Non acuos*, *Non acies*, quod in Maffei libro comparet, legit *Non vacuus* cum Guarino. Sic quidem res quodammodo expedita videtur, quamvis, nos verum tenere, minime dicere auſim. Spanhem. ad Callim. in Del. 109. legit:

Neſſonidum linquens claris celebranda
choreis

ut Neſſonides ſint illae *Νυμφαι Θεσσαλιδες* Callimacho dictae. Poſt tot, tantorum virorum irritos conatus audiamus

Corradinum: „hunc locum nunquam per„fanatum *ſuperis bene juvantibus* reſtituo hoc „pacto:

Vinoſus linquens *Doris* celebranda *choreis*
Nanacrios, nam, quae ille tulit &c.

„Vinoſus, Peneus enim erat ſane vini cupi„dus, *quia in aqua* degens, itaque ad nuptiale „convivium, ubi dapes & vina electiſſima, „poeta infra: *conſtructae ſunt dape* menſae. „*Doris choreis* explicat cum Scaligero de Do„ricis puellis. *Nonacrios* recte ſubaudi κατα, „vel *in mores*, h. e. Arcadico more, cum „cantu. *Nam ubi ſaltus & Cantus*.„ Ohe. Turnebus quoque in Adverſ. l. 24. c. IX. attigit hunc locum, &, veſtigia ſcripturae ſcrutanti illi veniebat in mentem:

Confeſtim Peneos adeſt viridantia Tempe
Tempe, quae cingunt ſilvae ſuperimpendentes
Aemonidum linquens *latis* celebranda choreis
Non agros, namque ille tulit cet.

hac explicatione: *Peneus relinquens Tempe* adfuit; *non agros* relinquens, agri enim aperti ſunt & frumentarii, nec nemoroſi: at is multis arboribus onuſtus frondoſa & ſilvoſa depopulatus eſt, devexitque inde fagos cet. — tantumque arborum attulit, ut

Tempe

Tempe purgato ſpatio choreis ducendis late patentia Aemonidibus puellis & Theſſalis reliquerit. Nam late patentem locum *ευρυχορον* dici graecis, non ignotum eſt viris doctis. Mireris ſane, in his inſulſe admodum diſputatis elucere quaedam, quae omnino ingenii acumen prodant. Nam Graecorum *ευρυχορες* ingenioſe admodum hic eſt ad partes vocatum, ſi vero legas, quae ſubjungit: Tempe exciſis his arboribus, quae ſecum adtulit Peneus, choreis ducendis apta facta eſſe, riſum vix teneas, multoque magis rideas ſi Peneum inducat *Tempe, non agros, linquentem*, quia agri aperti & frumentarii &c. *Aemonidum* vero prope veritatem adcedere videtur, quam vocem pariter ſubſtitui corrupto *Minoſum* volebat Heinſius in Adverſar. p. 646. qui legebat *Haemoniſin* linquens *Doris* celebranda choreis, ut jungantur duo patronymica ut *Inachis Acriſione, Phaſias Aeetine.* Lennepius v. 288. ita conſtituit (ad Coluth. I. 7.)

Dona ſuas namque ille tulit radicibus altas
Fagos.

Equidem, me nihil hic ſine Codd. praeſtantioma ope poſſe, lubens cum Mureto confiteor. Hoc tamen ex tanta lectionis

varietate mihi adſecutus eſſe videor, latere aliquod ſub his monſtris nomen quo Nymphas et graeca quidem flexione Catullus indigitaverit. Mire enim hujusmodi in vocibus turpiter ſe dedit librariorum ſtupor. Vide Nott. ad Propert. I. 20, 12 & 32. Caeterum eandem fere imaginem de Alpheo exhibet Moſch. Id. VII. 1.

Αλφειος μετα Πισαν, επην κατα ποντον ὁδευῃ
Ερχεται εις Αρεθοισαν αγων κοτινηφορον υδωρ
Εδνα φερων καλα φυλλα καὶ ανθεα καὶ κονιν ἱραν.

Quod hic Catullus Peneo, Centauris attribuit Euripides Iphig. Aul. 1058. ad nuptias Pelei & Thetidos concurſantibus:

Ανα δ' ελαταισι στεφανωδει δε χλοᾳ
Θιασος εμολεν ἱπποβοτας
Κενταυρων επι δαιτα των θεων
Κρατηρα τε Βακχᾳ.

radicitus *aſtas* malebat Heinſ. in Adverſarr. l. l. ſine idonea cauſa. Idem pro *mutanti* platano legere geſtiebat primo *flutanti* platano quo verbo etiam Lucretius uſus ſit III. 190. deinde vero, cum in Cod. Oxon. deprehendiſſet, *lutanti*, effingit *lactanti*, epitheto platano

tano satis accommodato, cum Ovidio *genialis* Met. X. 94. dicatur. Probat deinde *laetas* dici eas arbores, quae laetam umbram praebent. *Laetanti* repositi quoque Vossius, qui *nutare* de coniferis tantum arboribus dici contendit. Vossianam correctionem in textum admisit Vulp. Recte tamen vulgatam defendit Corradinus, qui *nutare* de motu ramorum dici poetis monuit. *Platanum altam* habes apud Ovid. Met. XIII. 794. — *len*taque sorore flammati Phaethontis. *leta*que Codd. fere omnes unde Scaliger effinxit *fleta*que, quod audacter in textum migrare jussit Vulpius qui exponit, *fleta*, lacrimis madens. Ita sane Apulejus l. VII. p. 199. Mater pueri mortem acerbam pueri deplorans, *fleta* & lacrimosa — ubi *fleta* explicat Elment. flendo fessa. Et sane adcommodatius videtur epitheton *fleta* τῳ sorore Phaethontis in cujus funere illius sorores nimio fletui & luctui indulgebant adeo, ut, in arbores conversae, guttas adhuc destillarent. Euripid. Hippol. 738.

πορφυρεον σαλασσοσ'
Εις οιδμα πατρος τριταλαναι
Κορai, Φαεθοντος οικτῳ, δακρυων
Τας ηλεκτροφαεις αυγας.

cf. Apollon. Rhod. IV. 605. Martial. IV. 59.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera ſerpit
Fluxit in obſtantem, ſuccina gemma feram

Stat. Silv. V. 3. 84.

quis non in funere cunctos
Heliadum ramos, *lacrimoſaque germina* dixit.

Val. Flacc. I. 521. veteris tum ce..ſcia luctus Silva Padi & viſo flentes genitore ſorores. Nemeſian. Cyneg. 38.

Et *flentes* ſemper *germani funere ſilvas*

Teneo tamen nunc *lenta*, quod omnino innuit Codd. ſcriptura letaque. Et ſic volebat quoque cum Voſſio Corradinus. Nam, num *fleta* Auguſtei ſeculi loquendi modus ferat, recte dubites. *Soror Phaethontis* de alno vel populo. Sic κόρυ Euripid. l. l. & Eubulo apud Athen. XIII. 568. f. ſimpliciter audiunt. Phaethon flammatus flamma fulminis combuſtus. Lic φεψαλωθηνχ Aeſchyl. 361. Prom. V. ανδρακωθχ de fulmine combuſtis. Ceterum cum Catullianis hiſce a. v. 280. *Nam quodcumque ferunt campi — veſtibulum ut molli velatum fronde vireret* comparent Venerum poeticarum ſtudioſi Theocritea in Adoniaz. 112.

Pag

Παρ μεν οἱ ωρια κειται ὁσα δρυος ακρα
Φερουτι
Παρ δ' ἀπαλοι καποι, πεφυλαγμενοι ες
ταλαρισκοις

& 119.

χλωραι δε σκιαδες, μαλακῳ βριθουσαι ανη-
θῳ
Δεδμαντ'.

v. 300.

Inde pater divum ſancta cum conjuge natisque
Advenit coelo, te ſolum, Phoebe, relinquens
Unigenamque ſimul cultricem montibus *Idri*
Pelea nam tecum pariter ſoror aſpernata eſt.

In explicando v. 302. haerent *intpp.* magno numero, Petrus Victorius contra omnes libros volebat:

Unigenamque ſimul cultricem montis Itonis

& intelligebat cum Parthenio *Palladem.* Quem refellere jam Muretus conabatur, cujus tamen argumentis vereor, ut totum Victorii commentum concidat. Unum tantum, in

quo rei cardinem verti putabat, adponam: Poſtremo, quod caput eſt, ſororem unigenitam Phoebi Minervam adcipere nullo modo poſſumus, ſed Dianam tantum; *quippe* cum illa e Iovis cerebro nata ſit, hanc Latona uno eodemque partu cum Apolline ediderit„ Sed Minerva recte ideo, quod unicum habebat parentem, unigena dici poterat. Et hoc cognomine venit quoque poetis. Orpheus 31. 1.

Παλλας μονογενης, μεγαλω Διος εγγονε σεμνη.

cf. Anal. Brunk. T. III. aenigm. XVIII. de Vino v. 3. Sic Auſon. Ephem. 46.

ſi te dominique deique
Unigenae cognoſco patrem.

Unigenae eſt ſine admixtione viri prognati. Quae loca, quin Victorius reſpexerit, nullus dubito. Sed verſus, qui ſequitur: Pelea nam tecum pariter *ſoror* aſpernata eſt. opinioni Victorii adverſatur. *Diana* dicitur *unigena* quam Latona uno eodemque partu cum Apolline eſt enixa, ὁμοσποροϛ. Apte laudat Statius Sophoclis in Trachin: ω παρθενοι βοατε τον ὁμοσποροϛ Αρτεμιν Ορτυγιαν. Apud Catull. de Com. Beren. v. 53.

Uni-

Unigenam impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.

Zephyrus dicitur unigena Memnonis quatenus, ut ceteri venti, matre Aurora gaudet (vid. Hesiod. Theog. 377.) adeoque frater Memnonis. Sic Diana dicta unigena, quatenus cum Apolline a Latona est progenita. — *Cultricem montibus Idri* Multa hic moliuntur *Interpp.* Parthenius legit: cultricem montis Ithymi, Palladem intelligens, fere ut Victorius, male. Palladius emendat: cultricem *e* montibus *Idae*, Idamque Cretae, ubi Diana praecipue colebatur, intelligit. Ita plane exhibet Codex Guelpherbyt. Achill. Stat. legit secundum Codd. scripturam *Idri*, *Ydri*, cultricem montibus *Hydrae*, quae est civitas Lydiae, cujus tractus maritimus Apollini, secundum Strabonem, consecratus erat cui quidem opinioni non leve pondus addunt versus Diogenis tragici apud Athen. VIX. p. 636.

Κλυω δε Λυδας, Βακτριας τε παρθενους
Ποταμῳ παροικους Ἁλυϊ, Τμωλιαν θεαν
Δαφνισκιον κατ' αλσος Αρτεμιν σεβειν.

montibus vero in dandi casu accipit, ut in Persiano: *illis* relinque. Utrumque tamen est

eſt longe ſatis petitum, ideoque vero minus ſimile, ita Catullum dediſſe. Muretus volebat: cultricem *in* montibus *Idae*. Hoc quoque magis adridebat magno Spanhemio ad Callim. in Dian. v. 18. quam *Hydri*, pro qua lectione pugnat Voſſius, accipitque de monte Cariae. Aliter prorſus Scaliger, qui *montes hydri* interpretabatur montes Delphicos, propter Pythonem ſerpentem ibi ab Apollinis telis confixam. Voſſium ſequitur Vulpius, ut ſemper fere. Corradinus primo *cultricem*, ſi abſolute ponatur poetis, ſemper eſſe *montium cultricem* ait, monendosque hac de re eſſe lexicographos. Laudat deinde Virgilii (Aen. III. 111.)

Hinc mater *cultrix* Cybele, Corybantiaque aera

ſed ibi *Cybelae* omnino legendum, intelligendumque eſſe montem Phrygiae jamdudum viderunt viri docti Heinſ. & Heyn. V. Ill. Miro deinde acumine perſtringit Interpretum conatus ſuper h. v. Vulpiumque qui montem Cariae intelligebat, in quo multa oppida Phoebo & Dianae conſecrata, *cadere imo ruere per caputque pedesque*, pronunciat. Nam, pergit magiſtellus acutulus, num, quia oppida Dianae dicata ſunt, cultrix eſt illius montis ipſa Diana? quid tum? puto Catullum dedita opera

ra ſcripſiſſe *hydri* h. e. *cultricem Aquarii*, qui dicitur Hydrochous & Hydrus, vel cultricem fontium, amnium & aquarum ab ὕδωρ, aqua„ Hoc nimirum eſt ſapere. Ego quidem ſequor hanc rationem: cultricem, quae colit, habitat montibus, pro in habitat montes. Sic Virgil. Aen. III. 110. habitabant vallibus imis & Callim. H. Dian. v. 20.

Ουρεσιν οικησω· πολεσιν δ' επιμιξομαι ανδρων

quod, fruſtra corrigere tentabat Erneſti legendo: Ουρεσ' ενοικήσω. Obverſabatur forſan Catullo: ὀρεσιφοιτης. *Idae* vero, ſcripturam quorumdam Codd. & editt. vett. ceteris praeferendum eſſe arbitror.

v. 304.

Qui poſtquam *niveos flexerunt ſedibus artus*
Large multiplici conſtructae ſunt dape menſae.

niveis ſedibus invenerat in ſuis libris Pallad. Fuſc. cum aliis quod explicandum eſt de *lectis eburneis*, quos ſupra dedit poeta v. 44.

Candet ebur ſoliis ——
Pulvinar vero divae geniale locatur
Sedibus in mediis, *Indo* quod *dente* politum
Tincta

Tincta tegit roſeo conchylis purpura fuco.

Cum qua deſcriptione conveniunt illa Platonis poetae apud Athen. II. c. IX. p. 48. B. Κατ' εν κλιναις ελεφαντοποσι και ερωμασι πορφυροβαπτοις, και φοινικισι Σαρδιανικαισι κοσμησαμενοι κατακειντας. Theocritea Adoniaz. v. 123.

Πορφυρεοις δε ταπησιν ανω (μαλακωτερος ὑπνῳ
Α Μιλατος ερει χῳ ταν Σαμιαν κατα βοσκων)
Ερωτας κλινα τῳ Αδωνιδι τῳ καλα αλλα
Ταν μεν Κυπρις εχει, ταν δ' ὁ ξοδοπαχυς Αδωνις.

Catullianis jam admovit Valken. V. Cl. ad illum locum. Eundem vide ſis ad Xenoph. Memorr. Socr. II. 3. 16. p. 243. Horat. Sermon. II. 6. 102.

rubro ubi cocco
Tincta ſuper *lectos canderet* veſtis *eburnos*

Virgil. Aen. 6. 603.

— — lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu.

Xenoph.

Xenoph. Epheſ. I. p. 10. κλινη χρυση στρωμασιν εστρωτο πορφυρεοις. Cum Catullianis v. 44. ſſ. comparant Virgilii Interpretes Cir. 438.

Pronuba nec caſtos adcendet pinus odores
Nec *Libys Aſſyrio* ſternetur *lectulus oſtro*

Apulejus Met. II. Lectus Indica teſtudine pellucidus, plumea congerie tumidus. Malim igitur h. l. *niveis* praeferre tanquam doctius. cum *nivei artus* ſimpliciter ſint pulchri quippe deorum. *flexerunt artus*, genua, conſederunt, exquiſite. Heſych. γονυ καμψαι. αναπαυεσθαι. Aeſchyl. Prometh. V. v. 395.

ασμενος δε τ' αν
Σταθμοις εν οικειοισι καμψειεν γονυ.

Sophocl. Oed. Col. 19.

Ου κωλα καμψων τα δ' επ' αξεσα πετρα

Stat. Achill. II. 394.

— — — durataque multo
Sole geluque cutis, tenero nec *flexa* cubili
Membra, ſed ingenti ſaxum commune magiſtro.

cave, ibi mutes *flexa*, in *fluxa*, vel *fuſa*. Achill. I. 195. ſato collabitur in gens Centaurus quam imaginem de Chirone Statius hauſit ex Orpheo 393.

Καὶ προκεκλιμενος μεν επ' ὑδαιοιο χαμευνης
Κειτο μεγας κενταυρος απηνηρειτο δε πετρη
Ιπποισιν οπλαισι τανυσσαμενος θοα κωλα

conſtructae menſae *dapibus*, ut *exſtructa caniſtra* Horat. II. 6. 105. niſi ibi *procul exſtructa* can. de cau. pretioſis, e longinqua terra arceſſitis, intelligere malis.

v. 318—22.

Ante pedes autem candentis *mollia lanae*
Vellera virgati coſtodibant calathiſci
Hae tum clariſona *pellentes* vellera voce
Talia divino fuderunt carmine fata.

pro *pellentes* quidam *pectentes*, jure improbante Voſſio, qui *pellere* comparat cum Graec. επειγειν, quod explicat Heſych. καταγειν, καθελκειν. Spectat huc forſan Theocrit. 24, 69.

ὦ, τι μοιρα κατα κλωστηρος επειγει.

Dictum vero pellere lanam ut urgere opus & ſim. Aliter Vulpius, qui *Parcas impellentes, adhortantes vellera voce* cogitabat. Minus recte, opinor. Induxit Vulpium in hanc opinionem haud dubie addita: *clariſona voce*, quod ſimpliciter ſic adponi ſolet. Ovid. Metam. VIII. 432.

E quibus ingenti tendentes brachia voce.

tendentes brachia, additis vocibus. Sil. Ital. X. 432.

Tum quatiens ſtrictum cum voce ante ora paventum
Mucronem.

ubi recte Drakenb. inhibuit Heinſii emendandi pruriginem, volentis:

— quatiens ſtrictum vagina ante ora pav.

explicans: quatiebat dum loquebatur. Cf. quae ibi laudat, Virgil. Aen. VIII. 667. Sil. Ital. XII. 661. Uti Catullus hic Parcas, ita Circen inter opus canentem exhibet Homer. Odyſſ. K. 221.

Κιρκης δ' ενδον ακουσ' αειδουσης οπι καλη
Ιστον επoιχομενην μεγαν, αμβροτον.

Cui reconditiora placent, ille jungat vellera pellentes voce clariſona, ita ut tela ſonum edat. Quo ſenſu habes apud Euripid. Iphig. Taur. ἰσὸς καλλιφθογγος. *Vox* vero *quemvis ſonitum* denotat. Vid. ad Ovid. Met. I. 338. Nic. Heinſ. hunc verſum ita legit in Adverſſ. p. 648.

Hae tum clariſona *polientes* vellera voce. adſcripto Ovid. Heroid. I. 77.

Forſitan & narres, quam ſit tibi ruſtica conjux
Quae tantum *lanas* non ſinat eſſe *rudes*

& Art. Amat. II. *rudem lanam* excolere. fruſtra.

v. 323.

Talia *divino* fuderunt *carmine* fata.

pro *divino* quidam vitioſe teſte *Voſſio dimiſſo*, alii *diviſo* quod amplectendum eſſe cenſebat Voſſ. alternisque, *αμοιβαιως*, Parcas hoc carmen cecinisſe ſibi perſuadebat. Conſtituit igitur ſequentes vv. ita, ut poſt quaternos quosque verſus, intercalaris verſus: Currite ducentes ſſ. recurrat, Parcaeque ſic alternatim ſe excipiant cantu. Quae quidem ratio, quantum difficultatis habeat, vel ex Parcarum cantantium a Voſſio concinnato ordine ſatis manifeſtum fit. Hinc enim verſus tranſponendos, hinc Catullo obtrudendos cum Voſſio ſtatuas neceſſe eſt. Altera ex parte, quam parum poetae hacce ratione conſulatur, quantum ſuavitati ipſius carminis detrahatur, ſi poetam in hunc ordinem, jejune ſatis, cogas, quivis facile ſentit, qui animum vel leviter ſenſu poetico informatum habet. Ideoque vel Vulpius, qui alias ſemper fere in Voſſii verba jurare conſuevit, hunc ordinem reſpuit. *Carmen divinum*

divinum de *vaticinio* dici, notiſſima res. Caeterum hujusmodi verſus intercalares in veterum cantilenis maxime locum habuiſſe, magnamque cantui ſuavitatem conciliaſſe videntur. Sic in cantilenis *επιμυλιοις* verſus intercalaris fuiſſe videtur Αλει μυλα, αλει, quantum conjectare licet e fragmento *επιμυλιῳ* apud Plutarch in Conviv. Sap. Αλει μυλα, αλει γαρ Πιττακος αλει, μεγαλας Μιτυλανας βασιλευων. quod laudant interpretes ad Aelian. Var. Hiſt. l. VII. c. 4.

v. 323.

O decus eximum, magnis *virtutibus augens*
Emathiae tutamen opis, clariſſime nato.

augens paſſive pro *aucte* ut in Origg. Catonis: Eodem convenae complures ex agro arceſſitavere: eo res eorum *auxit.* h. e. aucta eſt, apud Gell. XVIII. 12. ubi plura hujusmodi recenſentur. *Virtutibus augens* dictum igitur videtur pro vulgari: *mactе virtute.* Ita quoque hunc locum explicat Palmer. in Spicileg. quod eſt in Gruter. Lamp. T. IV. p. 870. quem omnino vide ſis. — *Emathiae columen Peleu,* videre licet in nonnullis Codd. & editt. quod reperiere, qui *Emathiae tutamen opis* non intelligerent, e verſu 26. hujus carminis. Hoc quidem con-

ſpicitur in Maffei libro, Mediol. editt. Venett. aliisque, amplexusque eſt Voſſius, cujus tamen explicandi ratio minus adridet. *Ops* illi nimirum eſt *terra*, provocatque ad Epigr. in Varum

Jam Bithynia quomodo Ops ſe haberet

Sed ille locus nihil facit ad ſtabiliendam ipſius interpretationem, cum ab *ipſo primum* ita confictus ſit. Nam vulgatae ibi obtinent:

Jam Bithynia quomodo ſe haberet.

quam lectionem Vir Doctus in Miſc. Obſſ. Vol. V. p. 3. ita refingere conabatur:

quid eſſet
Jam Bithynia? quomodo os ſe haberet.

Docte magis, quam vere *Emathiam opem* explicat Corradinus *divitem*, *opulentam*, cujus contrarium *inops* ſit, ut docet Feſtus. Nimis docte. Equidem Emathiam opem de regno Emath. ſimpliciter accipiendum eſſe arbitror. Sic *opes* ſaepiſſime poetis. Virgil. Aen. II. 4.

Trojanas ut *opes*, & lamentabile regnum
Eruerint Danai.

ibid. 605.

Divom

Divom inclementia Divum
Has *evertit opes*, ſternitque a culmine Trojam.

Valer. Flacc. VI: 597.

Et jam vela dabit, jam litora noſtra relinquet
Theſſaliae felicis *opes*, dilectaque Phryxo
Rura petens.

Claudian. in IV. Conſ. Honorii v. 41.

Subdidit Oceanum ſceptris, & margine caeli
Clauſit *opes*.

tutamen ut firmamen Senecae Herc. Fur. 1251.

unicum lapſae domus
Firmamen unum, columen adflicto malis
Temet reſerva.

pro *clariſſime* malebat Corradinus *cariſſime*, minus bene.

v. 348. 9.

Illius egregias virtutes claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres.

Quod Homerus de Diomede dixit, Catullus ad Achillem tranſtulit. Ita nimirum Il. Θ. v. 152. ſſ.

Ω μοι Τυδεος υἱε δαΐφρονος, οἱον ἐειπες
Εἰπερ γαρ σ' Ἑκτωρ γε κακον κηγ ἀναλκιδα φησει

Αλλ' ε πειθοντας Τρωες και Δαρδανιωνες
Και Τρωων αλοχοι μεγαθυμων απισαων
Ταων εν κονιη συ βαλες θαλερης παρηκοιτας.

v. 337–60.

Teſtis erit magnis virtutibus unda Scamandri
Quae *paſſim* rapido diffunditur Helleſponto
Quojus iter caeſis *anguſtans* corporum acervis
Alta repefaciet permiſta flumina caede.

Homerum ob oculos habuiſſe Il. Φ. 219.

Ουδε τι πη δυναμαι προχεειν ροον εις αλα δια
Στεινομενος νεκυεσσιν.

ſatis manifeſtum eſt. In v. 358. tentabam olim:

Quae *paſſu* rapido diffunditur Helleſponto.

Cum Homero hic fluvius deſcribatur:

μεγας ποταμος βαθυδινης
Ον Χανθον καλεσσι.

Primo enim obtuitu vix adparet, quo ſenſu το *paſſim* ſumas. Eodem modo corrige-

re

re tentabat Markl. Stat. Silv. IV. v. 57.

Hic plura pones vocibus & modis
Paſſim ſolutis

legebatque *paſſu ſolutis* cui tamen ſe graviter oppoſuit Wernsdorf. V. Cl. in Poett. latt. minorr. T. III. p. 377. Nunc tamen *paſſim* retineo, quod ipſum aquarum copias innuit. Gloſſae Philox. *paſſim*, *αθρόως*. Eadem vox magnos fluctus excitavit apud Nemeſian. Cyneg. 159. Sic Tibull. IV. 1. 22.

Huic ut contectus paſſim fluat ignibus aether

pro *anguſtans* malebat e codice ſuo Burmannus ad Lotich. I. X. 25. *auguſtans*. Voces quidem *anguſtus* & *auguſtus* perpetuo fere inter ſe permutantur. vide ſupra ad Catull. Epithal. v. 80. Sed *τῳ auguſtans* vel Homeri locus c. obſtat. vid. nos in epiſt. crit. p. 50. Attius in *επι ναυσι μαχῃ* de Achille:

Scamandriam undam ſalſam ſalſo obtexi ſanguine
Atque acervos alto in amni corpore explevi hoſtico.

Anguſtari nimirum dicuntur loca, quae nimia multitudine adgravantur. Homer. Odyſſ. IX. 219.

σεινοντο δε σηκοι
Αρνων η δ' εριφων.

Pariter Orpheus Argon. 112. ubi Minyae e navibus egreſſi

σεινε δε ψαμαθος ομαδω —

uti leviſſima mutatione facta legi jubet Schneid. Vir κριτικωτατος in Anal. Crit. Faſc. I. p. 63. Stat. Theb. XI. 273.

Urbem armis opibusque gravem & modo civibus *arctam*
Hauſiſti.

Vid. ib. Barth. Achill. I. 28.

— — ſervent coeuntia Phryxi
Littora & *anguſtum* dominas non explicat aequor.

aequor anguſtum, coarctatum nympharum multitudine. Sidonius:

Anguſtabat humum ſuperum ſatis ampla ſuppellex.

Burmannianae tamen, ne quid diſſimulem, patrocinari videtur Carmen 89. in Anthol. poett. latt. T. I. p. 72.

Multa trahet Xanthi Trojana cadavera gurges
*Majorem*que *feret* cultorum ſanguine curſum

ubi

ubi plura exempla congeſſit diligentia Burmanni. Sed vel ſic retineo vulgatam.

v. 377.

Non illam nutrix orienti luce reviſens
Heſterno collum poterit circumdare filo.

Animi cauſa lubet adponere, quae Luiſin. in Parerg. III. c. 44. (in Gruteri Lamp. Crit. T. III. p. 511.) ſuper h. l. diſputat. „Quid „hic Alexander Guarinus vir doctiſſimus in „ſuis expoſitionibus, quid alii ſentiant, per„ſpicere omnes poſſunt. Ego hanc ſenten„tiam ſequor: Addictam penitus Peleo The„tidem & cum eo totos dies, totas noctes „morantem officioſa nutrix adfari, & pen„ſum de more trahendum otioſae ſponſae „praebere non poterit, nam *qui penſum tra„dit, humero injicit, & collum prope circum„dare videtur.*" Sed recte animadverterunt interpretes, reſpici collum poſt primam noctem tumidius factum. Pariter inter ſigna amiſſi pudoris recenſet Nemeſian. II. 12. *cervicem improbam*, v. Voſſ. ad h. l. Aliud commemorat Aeſchyl. in Jaculatricibus cujus trag. fragmentum extat apud Plutarch. de profectus indiciis:

Νεας γυναικος ου με μη λαθῃ Φλεγων
Οφθαλμος, ἡτις ανδρος ἡ γεγευμενη.
Εχω δε τουτων θυμον ἱππογνωμονα.

v. 381.

Talia *praefantes* quondam felicia *Pelei*
Carmina divino cecinerunt omnia Parcae.

Leg. *Profantes*, licet omnes editt. mordicus teneant: *praefantes*. *Profari* verbum proprium de vatibus. Livius Andron. in ej. Odyſſ. apud Gell. III. 16. p. 256.

Quando dies adveniet, quem *profata* Morta eſt.

Lucret. VI.

Pythia, quae tripode ex Phoebi, lauroque *profatur*

Stat. Theb. III. 625.

Sed me veſter amor, nimiusque arcana *profari*
Phoebus agit.

In codd. vero *per*, *prae*: *pro*, millies invicem confunduntur, vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XVII. 56.

v. 385.

Praeſentes namque ante domos inviſere caſtas
Heroum, & ſ ſe mortali oſtendere coetu
Caelicolae, nondum ſpreta pietate, ſolebant.

Pariter

Pariter Parcas per terram vagantes deſcribit Orph. II. 58.

— — — πεποτησθε βροτων επ' απειρονα γαιαν
Ενθεν επι βροτεων δοκιμον γενος ελπιδι κουφον
Στειχετε.

Ceterum pro *Heroum* in nonnullis libris legitur vitioſe: *Nereus.* Reliqui fere tenent: *Saepius & ſeſe* cet. Quam quo jure eliminaverint vocem viri docti, equidem non perſpicio; cui, cum ter repetierit poeta (v. 388. 391. 395.) vim aliquam ſubjeciſſe videtur. Poſt v. 387. verſus hic inſertus legitur:

Languidior tenera cui pendens ſicula beta

in Cod. Guelpherb. & Vicent. inepte huc translatus e Catulli Carm. LXVI. v. 21. cujus erroris cauſas exponit Vulpius ad v. 33. ejusd. eleg.

v. 402.

Optavit genitor primaevi funera gnati.

Sententiae majorem vim conciliabis, ſi legas pro *optavit*, *captavit*. Ad ſenſum v. 404. vid. Euripid. Hel. 59.

LECTIO-

LECTIONES
IN
PROPERTIVM.

LECTIONES IN PROPERTIVM.

L. I. El. I. v. 37.

Quod ſi quis monitis *tardas adverterit aures.*

Burmannus corrigebat: *ſurdas obverterit aures*, irrito conatu. Propertius expreſſit Graec. βραδυπειθης.

I. 20, 27. Zethes & Calais, Hylae amore correpti
Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere *plumis*
Oſcula & alterna ferre referre fuga.

plumis ibi eſt ex emendatione Livineii, quem ſecuti ſunt Broukhuſ. Burmann. & alii, cum Codd. magno numero offerant *ſuſpenſis — palmis*. Quam lectionem, multo magis Propertianam, cur eliminaverint viri docti, nullam equidem ſatis idoneam cauſam video, cum *palmae* ut ταρσοι Graec. docte declarent ipſas *alas* Boreadum. Nam *palmam* Latinis extremam cujusvis rei longius protenſae partem denotare, in vulgus notum. Sic remi

pars

pars ſumma Catullo & aliis palma dicta ; hinc omnino de remis, ut hic de alis. Eandem vero imaginem de aquila in Tarquinii caput delabente exhibet Liv. I. 34. *aquila* ſuſpenſis *demiſſa leniter* alis *pileum* aufert. Paulo poſt v. 32.

Jam Pandioniae ceſſat genus Orithyiae
Ah! dolor ibat Hylas ibat Hamadryaſin.

minus recte Interpretes verba illa *Ah! dolor* exclamative acceperunt, cum *dolor ibat Hamadr.* jungi debeat, quod dictum graeca forma, ut ἐρχεσθαι, de quo vid. Paſſerat. ad Propert. I. V. ult. adde Apollon. Rhod. III. 1134.

— — — τοδε μηδετο Ἠρη
Ὀφρα κακον Πελιῃ ἱερην ἐς Ἰωλκον ἱκηται
Αἰαιη Μηδεια —

& IV. 242.

— ὀφρ᾽ ὤκισσα κακον Πελιαο δομοισιν
Αἰαιη Μηδεια Πελασγίδι γαιαν ἱκηται

Homer. Odyſſ. Γ. 306.

Τω δε οἱ ἐγδοατῳ κακον ηλυθε διος Ὀρεσης

Hac igitur admiſſa interpretatione rectius in Propertio leges:

Jam dolor ibat Hylas ibat Hamadryaſin.

nam

nam partic. *ah!* librariis, Propertio exclamationem ingerere conantibus, deberi nullus equidem dubito.

I. XI. 24.

Tu mihi ſola domus, tu Cynthia ſola parentes,
Omnia tu noſtrae *tempora* laetitiae.

Burmann. emendat: O. t. n. *tempore* laetitiae; mihi poeta ſcripſiſſe videbatur: O. t. n. *munera* laetitiae. Quam correctionem prae Burmanniana probabat quoque *Heynius* V. S. cujus judicium tanti apud me eſt, ut ne unum quidem verbum probandae huic lectioni addendum putem.

II. 7. 3, 4.

Nullae ſunt inimicitiae niſi amoris acerbae
Ipſum me jugula, lenior *hoſtis* ero.

Vide an praeſtet legendum:

Ipſum me jugula, lenior *hoſtia* ero.

h. e. minus tibi reluctabor, minus tibi infeſtus ero, ſi me ipſum jugules, quam ſi Cynthiam mihi eripias, id quod me multo magis pungit. Neque tamen diffiteor, vulgatam lectionem commoda interpretatione omnino adſeri poſſe, lubensque propoſitam a me lectionem in conjecturarum tantum numero repono. Ideoque nec admittendum Burmanni:

manni: *lenior hoſtis eris.* Certiorem vero, qua verſui 7 ejusdem elegiae:

Hic olim *ignaros* luctus populavit Achivos,
Atridae magno cum ſtetit alter amor;

ſuccuratur, medicinam in promtu habeo. Omnes, qui Propertium illuſtrare conati ſunt, viri docti, hos verſus de peſtilentia, quae Achivorum exercitum invaſerat (Homer. Il. α.) interpretantur. Enimvero huic ſententiae refragatur vel verſus, qui ſequitur: *Atridae magno cum ſtetit alter amor*, totiusque adeo elegiae oeconomia. Sententiam: *iras ob amicam ereptam eſſe graviſſimas, indeque maxima exoriri mala*, illuſtrat exemplis poeta. Sic Trojanum bellum enatum propter abductam a Paride Helenam, ſic *luctus*, moeror *Achillis* propter Briſeida ab Agamemnone illi ereptam *populavit Achivos*, fecit, ut Achivorum copiae magna clade adtererentur eo, quod ipſe bello abſtineret. Sed quare *Achivi ignari* dicti a poeta? Equidem nihil ſani inde extrico. Pronum eſt conjicere: *ignavos - Achivos*, quia tantum temporis Trojae capiendae inſumſerunt, vel ideo *ignavi* dicti, ſi cum Achille, heroe fortiſſimo, comparentur. Neutrum tamen, ut ingenue fatear, ſatisfacit. Scribe haud cunctanter:

Sic

Sic olim *ingratos* luctus propulavit Achivos.

Achivi ingrati docte dicuntur, cum hoc epitheton in Agamemnonem tantum cadat, qui Achillem, Briseida sibi vindicando, praedae parte defraudabat. Sic Homerus eadem in re de Achivis universe loquitur Il. A. 509.

Τοφρα δ' επι Τρωεσσι τιθει μενος, ὀφρ' αν Αχαιοι
Υιον εμον τισωσιν, ὀφελλωσιν τε ε τιμη.

ubi pariter Agamemnon solus est intelligendus. Quis vero non videt, Propertium primos Iliadis versus:

Μηνιν — — — Πηληιδεω Αχιλνος
Ουλομενην, ἡ μυρι Αχαιοις αλγε εδωκεν
Πολλας δ' ἰφθιμους ψυχας αϊδι προϊαψεν cet.

in animo habuisse. Unde adparet, Heinsium temere τῳ *luctus* substituisse *Orcus*. cf. v. 17. ss. inprimisque v. 23.

Omnia formosam propter Briseida passus,
Tantus in erepto saevit amore dolor.

II. X. 15.

Quae si forte bonas ad pacem verterit aures
Possum ego inimicitias tunc ego ferre Jovis.

Conſpirant haec cum Nonni l. X. p. 286.

— — — — ουκ αλεγιζω
Αμπελος ει φιλεει με καν εχθαιρει με Κρονιων.

II. XVII. 14.

Sic a Dulichio juvene eſt eluſa Calypſo.
Vidit *amatorem* pandere vela ſuum.

Heinſius, probante Burmanno, corrigit: *juvene & deluſa Calypſo Vidit* — omiſſa diſtinctione poſt *Cal.* Non omnino male; magis tamen ad Propertianae dictionis genium adcommodabis verba, ſi mecum reſcribes:

Vidit *ubi ardorem* pandere vela ſuum.

Nam *amatorem* e margine, cui, *ardoris* explicandi gratia, adlitum fuerat, in textum migraſſe, ſtatim in oculos incurrit. *Ardor, ignis*, de eo, qui amatur, dicitur, more pervulgato.

II. 25. 91.

Et modo formoſa qui multa Lycoride paſſus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Nihil veri quod ſpeciem habeat, ſubſtituunt τῳ *multa* viri docti, in quo vocabulo omnes vitium quaerunt. Ego vero in v. *Gallus.*

Cujus

Cujus nomen e margine vel antiquiſſimis jam temporibus, quibus Galli ſcripta ſupererant adhuc, vel e Virgilii Ecloga X. Galli nomine inſignita, in contextum migravit. Propertius enim, dum Lycoridem, Galli verſibus celebratiſſimam, fatumque ſimul poetae indigitat, aperte ſatis indicabat Romanis, quibus haec ſcribebat, de Gallo h. l. cogitari debere. Meo igitur ſenſu hoc vel ſimili modo ſcripſit poeta:

Et modo formoſam qui multa Lycorida *queſtus*
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Queſtus erat Gallus *Lycorida*, h. e. faſtum & levitatem illius. Praeter Martialem comparari omnino velim Virgil. Ecl. X. ibique inprimis v. 6. 46. ſſ. unde haud parum lucis noſtro loco accendetur.

IV. 6. 72.

Candida nunc molli ſubeant convivia luco,
*Blanditae*que fluant per mea colla roſae.

Vide an lectionem Scalig. *blanditae* tueri poſſis Ovid. Metam: X. 555.

Opportuna ſua *blanditur* populus umbra.

& Claudian. Rapt. Proſerp. II. 82.

Quicquid odoratus longe *blanditur* Hydaſpes.

Nolim tamen Propertio, ut dicam, quae ſententiam, inſolentius hoc verbum a magno Scaligero intruſum. Omnes fere Codd. conſpirant in lectione: *Blanditiae – roſae*; quam qui explicandam ſibi ſumſerunt, *eos* per appoſitionem rem expedire videas. Non omnino male. Majorem tamen Propertianae dictioni ornatum & ſuavitatem conciliabis, ſi *roſae* in gignendi caſu pro plur. *roſarum* (ut ſaepe Horatius in hac voce numerum commutavit) accipias, utque adeo *blanditiae roſae* ſint γανος ῥοδων, *roſae adſpectu blandientes*, *pulchrae*, nihil amplius. Sic γανος βοτρυος Eurip. Bacch. v. 382. Et in hac quidem explicatione adquieſcendum cenſeo. Quodſi vero nomen roſis celebrioribus proprium requiri videri cum Burmanno omnino ſtatuere velis, tum legendum erit:

*Paeſtanae*que fluant per mea colla roſae.

de quibus poeta ſupra IV. v. 59.

Vidi ego odorati victura roſaria Paeſti
Sub matutino cocta jacere Noto.

ubi vid. omnino Burmannum doctiſſimum, adde V.D. in Obſſ. Miſcc. Belg. Vol. II. T. I. p. 48. Calculum ſuum huic conjecturae adjecit quoque *Heyn.* V.S.

INDEX.

Acclamationes in nuptiis ſolemnes. pag. 19
Achivi ingrati. 163
Acta & alga confuſ. 45
Adulari de undis. 63
Aedes & ſedes confuſ. 37
Aequor de fluvio. 1
Agitare furores. 83
Aliquid, nequitiae vocab. 105
Allidere & alludere. 61
Alludere de aqua. ib. 63
Amor γλυκυπικρος. 86
Amplexus liquidi. 24
Angues Bacchis ſine fraude tractati. 112
Anguſta moenia quo ſenſu. 75
Apollonio Rh. vetus lectio adſerta. 10
Ardor de amatore. 164
Arenae incenſae. 15
Avertere de praeda pecorum. 4
Augeri taedis. 20
Aurum pallens. 91
Barthius (Caſp.) notat. 83
Blanditae roſae. 166
Burmann. Sec. notat. 15
Cachinni de undarum ſtrepitu. 123
Canere & candere. 12
Claudiani lectio contra Burman. defenſa. 15
Conchyle & Conchylis. 58

Congeſta mens. pag. 97
Cor immite quo ſenſu Catullo. 84
Cura de amore. 71
Currere cum quarto caſu. 5
Δαχνειν μαστους & ſim. 53. 54
Dii magna facinora ſtupentes inducuntur. 9. 11
Εφιζειν Αφροδιταν. 84
Educit terra flores. 79
Efflare & efflere quo ſenſu. 114. 115
Euripides emend. 112
Extenuari & externari. 68
Externari luctibus. ibid.
Facere aliquem ſuum. 125
Flectere artus. 143
Fleta ſoror Phaethontis. 135. 36
Florens Jacchus. 110
Fluctibus jactari de animi & corporis morbis. 89
Fluere de rebus vento & aqua agitatis. 65
Galli nomen e Propertio eliminatur. 166
Golgis Veneris praecipuus cultus. 88
Heinſius notatur. 8. 35. 163
Hîc, hac rerum conditione. 117
Horatius explicatus. 33. 67. 144
——— Pindarum initatur. 57
Horrere, horror, de mari. 119
Hyginus inſigni menda liberatus. 106
——— tentatus. 122
Hylas dolor ibat. 160
Jacchus florens. 110
Jmbuere. 7
Inferre & inferri quo ſenſu poetis. 33
Ipſe, honoris vocab. 16. 35
Laborare de rebus aegre coercendis vel ſuſtentandis. 55 — 57
Laetus & Lectus confuſ. 3

Languor

Languor de timore. pag. 90
Lennep. notat. 32. 44
Luces, dies. 25
Luctari, προσπαλαιειν de rebus grave. onus ſuſtinentibus. 57
Lumina & limina Solis. 120
——— cupida. 77
——— flagrantia. 80
Luxus pectoris. 55
Lydia, Dianae ſacra. 139
Mamma obſcura. 55
Marklandus notat. 21. 56. 83
Mare patefactum. 8
Mari & monſtris prognati, quinam dicti. 106. 7
Mater de patria. 18
——— reverentiae nomen. 20
Mirari. 40
Munera laetitiae. 101
Nare de fluctibus. 125
Niobes in ſaxum mutatae fabula. 47
Niveus mons. 108
Nix cana de mari ſpumoſo. 13
Nonius Marcell emend. 60
Nutare de arboribus. 135
Oceanus pater rerum. 23
——— terram ambiens. ibid.
Offerre aliquem luctui & ſim. 109. 10
Ovidius correctus. 71
Pallor de auro. 91
Palmae procerae. 113
Papillae lactantes, lactentes, luctantes. 51. ſſ.
Pater abſolute de Jove. 16
Pellere, επειγειν. 144
Pendere ab aliquo. 66
Perditus de amante. ibid.

Πετομενοι animo inconſtantes. 125
Plangor, planctus de undis. 123
Ποικιλλειν. 40
Profari v. vaticinantis. 154
Pubes & puppis confuſ. 4
Purpureum mare. 128. 129
In Propertio vetus lectio ſtabilita. 117. 159
Propertius emendatus. 118. 160-3
Ramireſius notat. 30
Recedere dicuntur remotiora, ſolitaria. 36
Roſae blanditiae, blanditae. 166
——— Paeſtanae. ibid.
Saevus de Minotauro abſolute. 102
Saxo comparantur ſtupore defixi. 47
Scaliger notat. 131
Saxo camparantur ſtupore defixi. 47
Scyros a Dolopibus inhabitata. 26
Sedes niveae. 141
Sentire quo ſenſu. 17
Serere curas. 70
Spicula, Spinae, de animi adfectibus. 73
Statio antiqua lectio adſerta. 92. 125
Statius explicatus. 49
——— tentatus. 26. 29. 92.
Sudans pinus. 99
Synaereſis poetis frequent. 29
Taedae plenae. 20
Texta pinea. 6
Tempe Phthiotica. 27
Tenere, v. amator. 21
Theocritus tentatus. 53
Thyrſi tecta cuſpis. 112
Torrere de amore. 82
Trux Achilles quo ſenſu Statio. 84
Tumere de pubertate. 59

INDEX.

Turnebi explic. ratio explosa. pag. 22
Vada falsa. 5
Variare, ποικιλλειν. 40
Varro tentatus. 101
Ventis jactare cornua. 103
Versari & vexari. 76.
Victor, voti compos. 104
Virgilio vulg. lect. adserta. 78
Virtutes heroum. 41
Undae variantes. 126
——— vibrantes. ibid.
——— purpureae. 128
Unigena de Diana. 138
——— de Pallade. ibid.
Volitare de Baccharum discursu. 111
Vomer pronus. 31
Vota tacite nuncupata. 94
Urbs versatur, timore perculsa. 77

6.i